This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Eg 877.73


SIGILLVM ✝ ACADEMIÆ : HARVARDIANÆ : IN : NOV : ANG :
CHRISTO ET ECCLESIÆ
By exchange of
Duplicates
10 October 1857

DE

CVLTV ANIMALIVM

INTER

AEGYPTIOS ET IVDAEOS

COMMENTATIO

EX

RECONDITA ANTIQVITATE

ILLVSTRATA

A

M. IOHANN. HEINR. SCHVMACHER

E. B.

BRVNSVIGIIS

GVELPHERBYTI ET HELMESTADII

APVD MEISNERIANOS

MDCCLXXIII.

Eg877.73

1857. Oct. 10.
By exchange
of duplicates.

PRAEFATIO.

Conſpecta hac Commentatione de cultu animalium inter Aegyptios et Judaeos, actum fortaſſis egiſſe me putabis B. L. ſi tot praeſtantiſſimos in memoriam tibi viros revocaveris, qui huic argumento ſuum impendere ſtudium. Facile enim fieri poteſt, vt, ſi diffuſae eruditionis apparatum, lectionis copiam, et omnigenae antiquitatis Theſauros, quibus horum hominum opera ſunt referta, ſpectemus, vix vllum aliis ſupereſſe ſpicilegium, credamus. Verum, ſi ita ſentias, cedo mihi veterum, vel neotericorum ſpecimina, quae ita limata, exacta et conſumata ſunt, vt nihil amplius in illis deſideretur? Cedo aliquem, qui ex omnibus tam feliciter ſe difficultatibus expediverit, vt tuto quieſcere poſſimus? profecto! *tenebrarum plena adhuc ſunt omnia antiquitatis monimenta*: exoptata in hac nocte dies nondum effulſit; *ſphinges et aenigmata* vbique: Davos reperies, oedi-

pos fruſtra quaeres: et ſi juſte omnia animoque praejudiciis libero explorentur, manifeſto deprehendes, integram in hoc campo literario meſſem, poſteris eſſe relictam.

Non id eum in finem hic commemorare volui, ac ſi animus eſſet, eruditorum virorum famae quidquam detrahere. Abſit! veneror illorum nomina, et in rem literariam merita prorſus egregia, quae non niſi idiotae, artium et ſcientiarum oſores, floccipendunt; ſed ideo tantum modeſte monui, ne quis cogitet, me ex iſto gregariorum hominum eſſe numero, qui cocta recoquunt, vel alienis plumis ſuperbiunt. Viri cordati, quibus liberale natura indidit ingenium, non ita judicabunt, ſunt autem, in quos quadrat vetus dictum: πολλοι πολυμαθεες νȣν ȣκ εχȣσι, quorum cenſurae, id genus literarum non minus eſt obnoxium.

Vt nunc ſcias, quis tenuis hujus opuſculi ſit finis et ordo, ſeu quid hac in re praeſtiterim, in limine paucis te edocebo. Potiſſimum id mihi cordi et curae fuit, vt religionis animalium origines, ex antiquiſſimis barbarorum moribus et ritibus erueram, quod a pleriſque huc vſque eſt neglectum. Hinc tot diſſenſiones et contentiones eruditorum! Nihil enim in hieroglyphicis ſcientiis explicandis difficilius eſt, quam earum genuinam originem, a commentis philoſophaſtrorum et additamentis diſtinguere et primas rerum cognoſcere cauſas, ad quam cognitionem, animus laborum patiens requiritur et indeſſa exercitatio. Vt pro virili hoc facerem, ad tem-

pus

pus vſque ἀδηλόν, quod anteceſſit μυθικον, retrogreſſus ſum, ne iis, qui canae antiquitatis fontibus delectantur, deeſſent ſui generis argumenta et probationes.

Inter Aegyptios, Perſas, Arabes, Aethiopes, Indos, Bragmanas, et quos non? moris erat et vſitatum, ſub hierogl. imaginibus et involucris, ſua primordia, genealogiam et quae poſteritatis digna erant, celare fabuloſoque cortice involvere. Animalium ſymbola videbantur ad id apta nata, quare ſingulae nationes ad ſuum genus et indolem exprimendam, illis vtebantur. e. g. Rex quidam Scythiae mittebat Dario, qui trajecerat Iſtrum, murem, ranam, avem, *) quibus ſymbolis deſignabat, cum iſtis ipſi gentibus eſſe confligendum, quae ſub hiſce animalibus intelligerentur, niſi recederet propoſitoque deſiſteret. Quod exemplum rem, tam quo ad materiam, quam formam, mirifice illuſtrat, nec iis favet, qui ſub hierogl. figuris phyſiologiae principia, vel theologiae dogmata, veteres tradere, aut ingenii luſus oſtentare voluiſſe, ſibi imaginantur **).

Ex ſymbolorum vſu et cultu civili, tanquam ſcaturigine, tandem emanavit idololatria et in omnes terrae partes ſe diffudit. Malum apud priſcos populos epidemicum, cui aprica vix noſtra aetas ex fundamento me-

 deri

*) *Clem. Alexand.* ſtromat. lib. V. de quibus Homer. in Batracho*myomachia.*

**) *Saluſtius* de Diis et mundo. Proclus de Theol. Plat. I. *Cap. IV.* Phornutus de natur. Deor. Cap. vltim.

deri potuit. Hoc contagio laborantes in plures inciderunt paroxiſmos, vt non ſolum conditores et homines beneficos adorarent, ſed et beſtias illis ſacras, religioſo cultu proſequerentur. Quo modo iſta inſania ſuos nacta ſit gradus, quibusque ſua Monopolia muniverit praeſtigiis *) ſuo loco oſtendi et fuſius oſtendere potuiſſem, ſi totum tenebrarum regnum percurrere vacaſſet. De differentia inter idololatriam et animalium cultum, non nihil interſerui, et quae huc faciunt rationes, ex ipſa natura rei et victimis, quas animalibus ſacris obtulerunt, aliisque argumentis, non plane contemnendis, ſunt petitae.

Iſraelitas ex Aegypto emigrantes, animalium religio comitata eſt in deſertum, vbi, quamvis divinae cognitionis lampada habuerint accenſam, abſente Moſe feſtum apidis, Memphitarum idoli, ſub vituli ſpecie celebrarunt. Quae de hoc Aegyptiorum ſymbolo ejuſque ortu et natura, obſervatu digna mihi viſa ſunt, adjeci, vt ratio dari poſſit, cur vitulum aliis Aegyptiorum animalibus ſacris praetulerint et potius ſub hoc, quam alio, ſua Numina ſymbolo, colere voluerint. S. ſcripturae loca, quae ad vitulantium hiſtoriam pertinent et quae interpretes paſſim a proprio verborum ſenſu, ſine neceſſitate traxerunt, pro contextu et populi vociferantis conceptu expoſui, ſpe fretus, fore vt cuncta eo clarius *eluceſcant.* *Nam* palam eſſe videtur, vniverſum popu-

lum

*) *Vid. Anton.* van Dale diſſert. II. de oracul. pag. 215. et 297 ſq. *item Ioh. Iacob.* Boiſſart de praeſtigiis etc.

lum non easdem, de cultu vitulino habuiſſe notiones, et partem avitis adhuc inhaeſiſſe tenebris.

Loco appendicis acceſſere non nulla, de Iudaeorum onolatria, quae cum antecedenti materia eſt connexa. Ex inſtituto viri ſummi Bochartus et Kortholtus hanc rem pertractarunt, ad id vnice intenti, vt, quae profani ſcriptores de aſini capite in templo Hieroſol. tradiderunt, pro conviciis paganorum venditent et Hiſtoricorum fidem faciant ſubleſtam. Nemo ſanus hoc improbabit, qui obtrectatorum finem conſideraverit. Si vero relationis originem et aſinini capitis cauſam, ex remota antiquitate et vetuſtis populorum moribus, quanta poſſumus induſtria, derivemus, non omnia ſtatim falſitatis, vel ſcriptores, qui iſta retulerunt, mendacii arguemus. Culpantur merito vt calumniatores, Iudaeos onolatriae incuſantes, ſed et aequis, vt Hiſtoricos, auribus audire, quaeque narrant facta, non ſine ratione ſufficiente, rejicere oportet. Tuum erit, benevole lector, arbitrari, an, quas dedi, rationes, praevaleant aliorum argumentis.

Haec ſunt, quae te B. L. latere nolui: quod reliquum eſt, opto, vt, qualiacunque ſint, quae tibi tuoque vſui ingenue offero, aequi bonique habeas. Si ſcateat hic foetus naevis et mendis, nec omnia ad palatum tuum ſint condita, memor eſto: *εκ μερους γαρ γινωσκομεν, οταν δε ελθη το τελειον, τοτε το εκ μερους καταργηθησεται.* Vale noſtrisque Muſis fave. Dabam Bevenrodae ſeptim. Iulii MDCCLXVIII.

SYNOPSIS.

SECT. I.

De cultu animalium inter Aegyptios in genere.

Aegyptii ſapientiae fama incliti beſtiarum cultu nominis famam coinquinarunt §. 1.

A graecis et eccleſ. Patribus idcirco acriter reprehenſi et illuſi. §. 2.

Sunt, qui mitius de illis ſentiant et ſub animalium figuris myſticum theologiae ſenſum quaerant. §. 3.

Inter hos eminet Iamblichus. §. 4.

Non ad ſacerdotum aegyptiorum ſed Platonicorum ſcholam haec pertinent. §. 5.

SECT. II.

De origine cultus animalium ſecundum communem ſententiam.

Multa haec res ingenia fatigavit. §. 6.

Ex ſtoicorum et platonicorum philoſophia origo cultus a quibusdam deducitur. §. 7.

Ab aliis ex migratione animarum in bruta. §. 8.

Ex aſtronomia et animalibus in Zodiaco. §. 9.

Ex vſu et vtilitate animantium. §. 10.

Ob hanc vtilitatem beſtiarum, *cautum eſſe legibus*, vt vtilia *animalia conſervarentur* et religioſe *colerentur.* §. 11.

[…]nioſe haec omnia dicta. §. 12.

Inprimis vtilia animalia quovis modo conſervare & colere neceſſarium fuit, cum Aegyptus non adeo ferox beſtiarum dicitur. §. 13.

Quidam originem cultus animalium ex beſtiarum differentia et regum calliditate derivant. §. 14.

SECT. III.

De vera hujus cultus origine.

Genuinam originem non ex ſcriptoribus profanis, ſed ex hierogl. gentium hiſtoria petere decet. §. 15.

Barbarorum Dii fuerunt homines meritis clari, quorum memoriam anniverſariis ritibus celebrabant et ſub animalium figuris exhibebant. §. 16.

Animalium ſymbola in origine gentium ſunt ſita et in memoriam conditorum eorumque beneficiorum inſtituta. §. 17.

Erant primo rudia et ſimplicia §. 18.

Senſim emendata et loca feſtis et ſymbolis ſacra ſunt deſtinata, vbi hieroglyphice a juventute conditorum et majorum hiſtoria peragebatur. §. 19.

In feſtis Oſiridis et Iſidis canes tenebant praerogativam. §. 20.

Pro diverſa Deorum et gentium origine, diverſa erant animalium ſymbola. §. 21.

Iuven-

Iuventuti progenitorum facta et merita ſymbolice proponenti et eorum feſta celebranti moderatores praeficiebantur, vt cuncta fierent decenter. §. 22.

Reges et magiſtratus hos ritus approbabant et ad feſtorum et ſymbolorum pompam omnia contulerunt. § 23.

Nova ceremoniae ad ſymbolorum venerationem introductae, regumque exemplo amplificatae. §. 24.

Populo inſtillatum, Numina et animalia illorum ſymbola, devote colenda, §. 25.

SECT. IV.

De progreſſu cultus animalium.

Priſca Hieroglyphicorum opinio ſtudio ſupprimitur; ſymbola in perſonas mutantur et inter aſtra referuntur. §. 26.

Ex his aethereis Numinibus quaedam dicuntur intelligibilia et habitant in mundo intelligibili, quaedam ſenſibilia et degunt in mundo ſenſibili. §. 27.

Genios eorum in ſtatuis vivere hominibusque apparere docetur, magnaque inter ſacerdotes eſt hac de re diſſonantia. §. 28.

Scriptores graeci nil nobis de aegyptiorum ſymbolis tradunt, quam ſacerdotum commenta. §. 29.

Non melioris notae ſunt, quae de *animalibus* ſacris ſomniant. §. 30.

Primitivae Eccleſiae Patres *Philoſophorum*, praeſertim Platonico-

Arcanum hieroglyphicorum ſenſum paucis admodum revelabant ſacerdotes aegyptii, vnde diſciplina arcani et myſteriorum origo. §. 32.

Vt myſteriorum recordarentur initiati, Sphynges et Harpocratis ſtatuas ante foras templorum collocabant. §. 33.

SECT. V.

De differentia cultus animalium ab idololatria.

Objectum primarium idololatriae fuerunt ſumma Aegyptiorum Numina hieroglyphica, ſub quibus conditores ſuos colebant. §. 34.

Haec opinio vt graecorum figmentum a literato quodam impugnatur. §. 35.

Contrarium probatur. §. 36.

Quas Diodorus Sicul. de cultu animalium refert, nullius ſunt momenti. §. 37.

Aegyptii non ipſa ſymbola, ſed quos adumbrabant Deos, adorabant. §. 38.

Philoſophi graeci ex ſacerdotum traditionibus id affirmant. §. 39.

Idem ex ſacrificiis idolis oblatis apparet. §. 40.

Ejusmodi ſacrificia animalibus ſacris non ſunt facta. §. 41.

Ex funeribus animalium ſacrorum id etiam liquet. §. 42.

SECT. VI.

De cultu idololatrico inter Iudaeos.

Iſraëlitae majorum religione poſt-

Non habuerunt propria idola, ſed gentium, inter quas commorabantur, ſuperſtitionem imitabantur. §. 44.

Prae omnibus Aegyptiorum ſacris adhaeſerunt ritibus et abominationibus. §. 45.

Teſtimoniis Iudaeorum et Patrum eccleſiae ſatis hoc probatur. §. 46.

Iudaeorum idololatria fuit ſequela corruptionis et diſperſionis inter gentes. §. 47.

SECT. VII.

De vitulo in deſerto a Iudaeis culto.

Aaronem ſciſcitantur Iudaei, quid Moſi abſenti acciderit. §. 48.

Symbolum Numinum conſpicuum ab Aarone petunt. §. 49.

Fuit ille ex auro illis vitulum fuſilem. §. 50.

Ad apidis exemplar confectus. §. 51.

Quale apis, Memphitarum idolum, fuerit ſymbolum? §. 52.

Cur Aaron vitulo apidis figuram impreſſerit? §. 53.

Quibus id ſcelus inter Iſraëlitas, imputatur. §. 54.

Iſraëlitas ab Aegyptiorum proſelytis ad vituli cultum eſſe incitatas, videtur probabile. §. 55.

Ne ad vnum omnes ad apidis ſolemnia abriperentur Iſraelitae, *Aaron Jehovae feſtum* indixit, *ex quo conſtat*, adhuc aliquos *inter Iudaeos fuiſſe* puros et *hujus ſceleris integros.* §. 56.

os non apidem ſub vitulo, ſed Ie- [illegible] coluiſſe videtur ex Nehem. IX, 18. etſi in eo peccarunt, quod verum Deum ſub Aegyptiorum ſymbolo adorarint. §. 57.

Aaron vituli fabricator a multis excuſatur, a plurimis probri incuſatur: non vacat culpa. §. 58.

Moſes vitulum in pulverem redegit etc. an artis chemicae fuerit peritus. §. 59.

SECT. VIII.

De Onolatria Iudaeorum.

Vnde haec traditio orta? quam late fuerit diſſeminata? §. 60.

Ioſephus Iudaeos adverſus Apionem defendit et contrarium ex ſilentio ſcriptorum demonſtrare conatur. §. 61.

Ex Patribus et recentioribus idem egerunt multi. §. 62.

Judaeos olim aſini caput in ſanctuario habuiſſe, non prorſus a vero abeſt et ex orientis moribus et ritibus illuſtratur. §. 63.

An Joſepho hac in re tuta ſit habenda fides? Quare non? §. 64.

Ex ſilentio ſcriptorum non ſequitur, quod inde ſequi putat Joſephus. §. 65.

Multa a ſcriptoribus ſunt ſtudio omiſſa, iubente prudentia. §. 66.

Nihil facit ad rem, quod veteres templum ingreſſi nec aſini caput, nec alia ſacra in ſanctuario invenerint. §. 67.

SECT. IX.

De aſino Iudaeorum ſymbolo.

Aſinum Iudaeorum eſſe Hieroglyphicum, varia S. Scripturae loca docent. §. 68.

Popu-

Populorum ſymbolis inſidere erat ſignum Dominii in gentes, ideo ſervator Hieroſolymam ingreſſurus aſino vſus eſt vectore, Iudaeorum ſymbolo. §. 69.

Judaeorum traditiones de Meſſiae aſino, quem Moſes equitaſſe dicitur. §. 70.

Sabaoth figuram aſini habuiſſe ſtatuerunt Gnoſtici et idem de Thartan Rabbini. §. 71.

Ex eo dijudicari poteſt pictura Romae olim in chriſtianos propoſita, cum inſcriptione: Onochoëtes, aſini figuram referens. §. 72.

SECT. X.

De origine hujus ſymboli.

Eruditorum conjecturae hac ſuper re examinantur. §. 73.

Tacitus et Plutarchus relata referunt. §. 74.

Ad hiſtoriam Anae patris ſui aſinos paſcentis, plerique hanc traditionem trahunt. §. 75.

Rabbinorum opinio de fontibus ab aſinis in deſerto detectis. §. 76.

De nominibus, quibus aſinus inſigniunt et coloribus eorum. §. 77.

Origo hujus ſymboli in Arabia nata et ad Heberi poſteros propagata. §. 78.

De Mahomedis aſino, quo ad coelum vectus dicitur. §. 79.

SECT. XI.

Ex traditionibus Aegyptiorum id vlterius demonſtratur.

Non nihil lucis foeneratur hoc argumentum ex hierogl. Thyphonis hiſtoria. §. 80.

Typhon eſt regum paſtorum ſymbolum, quos Aegyptii olim vocarunt Hicſos. §. 81.

Manifeſtum hoc reddit hiſtoriae vtriusque analogia. §. 82.

De Typhonis aſino, quo aufugit ex praelio. §. 83.

Reges paſtores a Joſepho progenitores ſuae gentis appellantur, quod refellit Marſhamus. §. 84.

Perperam hic auctor Hicſos confundit cum paſtoribus Iſraëlitis. §. 85.

Hicſi natione fuerunt Arabes, qui Aegypti plagas turmatim invaſerunt et vi occuparunt. §. 86.

Multis rationibus permoti Judaei, aſinum gentis ſuae ſymbolum fecerunt. §. 87.

Cur aſini duntaxat caput in ſanctuario conſervaverint? ex cabaliſtarum diſciplina arcani explicatur. §. 88.

Non religioſi cultus cauſa, ſed in majorum, eorumque hiſtoriae recordationem factum, quod ſine legis violatione fieri poterat. §. 90.

ARISTOTELES.

METEOROL. LIB. I. CAP. VII.

Περι των αφανων τη αισθησει νομισομεν ικανως ἀποδεδειχθαι κατα τον λογον, εαν εις το δυνατον αναγαγωμεν.

Putamus nos de iis, quae ſenſui non ſunt manifeſta, ſufficientes rationes atque demonſtrationes attuliſſe, ſi tantum oſtenderimus ea ſic fieri poſſe, pro vt a nobis explicantur.

SECTIO

SECTIO I.

DE
CVLTV ANIMALIVM INTER AEGYPTIOS GENERATIM SPECTATO.

§. 1.

Inter omnes Orientis gentes, ſeu barbaros, maxima ingenii, ſcientiae, et ſapientiae laude floruerunt olim Aegyptii, a quibus fere omnium populorum legislatores, Philoſophi, et ſapientes, leges, ſcita, mores, ritus et ſacra acceperunt. Et quam inventricis haec natio fuerit indolis, admiranda teſtantur hierogl. antiquitatis monumenta, quae ex Ruderibus ſuis et Cippis reſuſcitata, vetuſtate licet obliterata, priſtino, quem ab incunabulis habuerunt, nitori reſtituere periclitati ſunt eruditiſſimi homines. Qui vero ad eam prolapſi fuerint inſaniam, vt tum pudendo beſtiarum cultu, qua inclaruerunt, ſapientiae famam contaminaverint, difficulter caperem, niſi experientia doceret, ſumma ingenia, vt Senecae verbis vtar, eſſe cum miſtura ſtultitiae et ſanae rationis vſum, ibi parum, aut nihil valere, vbi fraudes et lucri caeca cupido ſibi mutuo opitulentur.

§. 2.

Scriptores graeci, idololatriae ipſimet immerſi, hos ritus *Aegyptiorum* non ſine cachinnis et ludibrio vbique perſtrin-

gunt, nullumque animalium genus in Aegypto degere tradunt, quod non Numinis loco habuerint *). Crocodilum pro Deo coli a plerisque incolis eſſe lege ſancitum **). Memphitis bos Deus eſt, inquit illuſor Deorum hominumque, aliis Ciconia, aliis Cynocephalus, aut feles, aut ſimiae. ***) Et quis neſcit, qualia demens Aegyptus portenta colat †)? Patres eccleſiae non minus hanc dementiam Aegyptiis exprobrant. Evenitae colunt piſcem phagrum, Moeoten vero qui habitant Elephantinem, Oxyrinchitae piſcem ſimiliter; praeter eá Ichneumonem Heracleopolitae, Saitae et Thebani ovem ††). De hiſce abominandis Aegyptiorum ceremoniis, non eſſe quod dicatur, ait Athanaſ. †††), quoniam omnibus in oculis ſit, quod apud hos adoratur, apud alios abominationi habeatur. Quid in tam inclitae et praeclarae gentis ignominiam magis vergere et dici poteſt?

§. 3.

Hiſce ſcriptorum teſtimoniis, etſi fides denegari nequeat, viri tamen ſummi fuerunt, qui Aegyptios non ita omnem ſanae rationis vſum ejuraſſe putarent, vt nihil ſani, tenebris licet oppreſſi, in rebus divinis ſenſerint, nec ſibi perſuaderent, gentem, ob multarum rerum ſcientiam et omnium fere artium culturam, vbique terrarum celebrem, tot ſaecula cum ſana ratione maxime inſanire potuiſſe. Vt hanc infamiam, quam animalium cultus ipſi inuſſit, averruncarent, ſub animalium figuris, reconditum theologiae myſticae ſenſum atque ſublimiores de divinis attributis notiones, latere portendunt, quod exemplis quibusdam commonſtrare non plane erit ſuperficiarium.

§. 4.

*) Herodot. lib. II 65. **) Diodor. Bibliot. Lib. I. pag. 30.

***) *Lucian.* in Iov. Trug. Tom. III. pag. 460.

†) *Iuvenal. ſatyr. XV.* et Cicero de natur. Deor. Lib. I. pag. 101.

††) *Clem. Alexandr. Protrept.* p. 19.

†††) *Cont. gent. pag.* 20. his adde ſi libet, Arnob. Lactant. Euſeb. *Auguſt. Minut.* Felic.

§. 4.

Jamblichus Aegyptiorum, in re Theologica, morem nobis explicans, ſic ratiocinatur: Aegyptii ipſam vniverſi naturam Deorumque operationem imitantes, myſticarum quoque et abſconditarum notionum imagines quasdam, in ſymbolis conficiendis, oſtendunt; quemadmodum et ipſa natura, rationes occultas in formis apparentibus, quaſi ſymbolis, exprimit; et ipſa Deorum operatio, idearum veritatem delineat in imaginibus conſpicuis etc. *) In Crocodilo ſexagenarium numerum, ſoli convenientem, admittunt, vel qui rationes phyſicas, puta animalium vires et operationes, huc trahunt (Aegyptii) ſic canem et cynocephalum et muſtellam, lunae communes faciunt: item qui materiales quasdam ſpecies, vt ſolet in animalibus ſacris fieri, vel aliquid, quod in eorum corporibus notetur **) quae vt palam eſt, non ad Aegyptiorum Theologiam myſticam, ſed potius ad Platonicorum recentiorum ſcholam referenda ſunt, nec animalium cultum a deſpicientia vindicare poſſunt.

§. 5.

Arcanam hanc Aegyptiorum, quam ſacerdotibus falſo adſcribunt, doctrinam, pro Platonicorum vario ingenio, variam quoque fuiſſe, abunde quae reſtant, nobis ſignificant. Porphyrius et Plutarchus, ambo Platonicorum Philoſophiae addicti, in diverſas abeunt partes et opiniones, ſi Aegyptiorum ſacra cultusque animalium cauſas myſticas exponunt ***). Sequuntur eorum veſtigia multi, qui ſpinoſis Platonicorum ſubtilitatibus ſunt ineſcati et quo poſſunt ingenii condimento, Aegyptiorum ſuperſtitionem linunt, in quo negotio Cudworthus nulli eſt ſecundus. Omnes enim intendit nervos, vt ex Aegyptiorum Hieroglyphicis animaliumque ſymbolis, ſanum rerum divinarum ſenſum eruat noctemque et diem inter ſe conciliet. Tacebo Phannerum, Borrichium aliosque, qui idem adniſi ſunt quibus ego dicam ſcribere nolo.

SECT

*) *De myſter. Aegyptior.* Sect. VII. Cap. I. pag. 150. Edit. Galei.
**) *Idem lib. cit.* Sect. V. Cap. VIII. pag. 123.
***) *Conring. de Hermet.* Aegyptiorum medicina. Ca[illegible]

SECTIO. II.

DE ORIGINE CVLTVS ANIMALIVM, EX SENTENTIA VETERVM ET RECENTIORVM ERVDITORVM.

§. 6.

Non parum hoc res antiquitatis exploratoribus, praeſertim noſtra aetate, faceſſit negotii et dici vix poteſt, quot ingenia vexaverit, quotque ſcripta protulerit et conjecturas. Sine dubio viri mira perſpicuitate praediti, rectam, quam in hac denſa rerum ſylva quaeſiverunt ſollicite, viam inveniſſent, ſi ad ipſa Aegyptiorum primordia recurriſſent eorumque ſymbolologiae gnari fuiſſent. Verum, quod ex primis gentis temporibus deducendum, ex recentiori aevo petunt, itaque cauſas cultus animalium, non ex fontibus, ſed rivulis, ſacerdotum et ſapientum ſtudio, dudum adulteratis derivant. Quapropter nil aliud quam inventa nova excogitare poſſunt, quae, etſi non omni prorſus fundamento deſtituta ſint, ipſam tamen rei originem nunquam detegent. Non pigebit forſan laboris impenſi, ſi horum eruditorum conjecturas et quibus eas ſuffulcire ſtudent, argumenta, aequa vt decet lance ſine praejudicio et partium ſtudio, libremus.

§. 7.

Originem nefandae hujus in Aegypto ſuperſtitionis, quae a reliquarum gentium ſacris differt, inde profectam volunt, quod Aegyptii animalia, Dei per vniverſam rerum naturam fuſi, partes eſſe ſtatuerint *). Haec ſententia, vt res ipſa docet, juniorum Platonicorum, praecipue Stoicorum, ſcholam redolet, qui Deum mundo animae inſtar eſſe, vel ſpiritum, omnibus partibus immiſtum, vel divinam rationem toti mundo inſitam *docebant* **), *quibus* commentis Stoicorum et Platonicorum tota inniti-

*) *Porphyr. de abſtinent.* ab eſu carnis Lib. IV. §. 9.
**) *Diogenes Laërt.* Lib. VII. ſegm. 138. ſq. Manil. Aſtronomic. Lib. I. *v. 484 ſq.* *Lipſius* in Phyſiol. ſtoica. Lib. I. Diſſert. VIII. p. 16 ſq. [illegible] Evangel. Lib. XV. Cap. XV. p. 817. etc.

innititur Spinozae impietas atheiſtica *). Ne etiam quid deeſſet, quo ſuam de Deo opinionem Pantheiſtae probarent, omnem Aegyptiorum et graecorum Mythologiam ſuis Philoſophiae principiis attemperabant **). Sed ſi ex his Philoſophorum placitis, animalium cultus in Aegypto ortum ſumſerit, ſequeretur, Stoicorum de Deo opinionem, prius inter Aegyptios, quam beſtiarum cultum, invaluiſſe, quod nemo facile dixerit. Deinde in vno animali trucidaſſent, quod in altero adoraſſent, quod tam abſurdum, quam quod abſurdiſſimum.

§. 8.

Aliam, quibus haec non arrident, cultus, de quo loquimur, cauſam, in μετεμψυχωσεως doctrina, ſeu animorum migratione in bruta, detegiſſe arbitrantur. Conſtat enim ex hierogl. Aegyptiorum traditionibus, quod Deorum animi in animalium corpora tranſierint ***) et ſic animalia vt Deorum diverſoria eorumque divinarum proprietatum receptacula, coluerunt. Aſt quae de animorum migratione in bruta traduntur, non ſenſu pythagorico, ſed de myſtica Deorum metamorphoſi ſunt intelligenda. Iſis in vaccam, Oſiris in bovem, Anubis in canem mutati, quae mutatio nil niſi horum Numinum commorationem, ſub iſtis gentibus, quorum ſymbola praedicta erant animalia, ſignificat. Id non ſatis advertere videntur, qui ex hac metamorphoſi, quae hiſtoricum habet ſenſum, qui ſucceſſu temporis, a ſacerdotibus et graecorum Philoſophis eſt depravatus, cauſam beſtiarum cultus pullulaſſe cenſent, et ex erroribus animorum, ſi phyſice etiam ſumatur, ad ipſam cultus originem concludunt.

§. 9.

Convolant alii ad Aſtra et rationes, quas humi reperire nequeunt, in Zodiaco venantur. Sequuntur in his Lucianum, qui

refer

*) *Vide Buddei Diſſert.* de ſpinoziſmo ante Spinozam.

**) *Cicero de natur.* Deor. Lib. II. Cap. XXVIII. p. 2996.

***) *Diodor.* Bibl. hiſtor. Lib. I. pag. 52. Plutarch. de Iſid. et *pag.* 380.

refert *), ab Aegyptiis caelum in duodecim partes diviſum et ſingulas ſub totidem animalium figuris, repraeſentatas. Hanc diſtributionem aſtronomicam, non ſolum cauſam cultus beſtiarum eſſe, ſed ad ipſam hujus ſuperſtitionis diverſitatem anſam dediſſe, conjectant **). Animalia nimirum iſta Zodiaci, duodecim ſunt Dii Horoſcopi, quibus praeeſt Pontumorphos cum ſeptem Vſiarchis ***), quos idcirco Aegyptii vt Deos in aſtris regnantes, religioſe coluerunt ſi iſtam antiquitus Aegyptii de Zodiaco foviſſent ſententiam, non reluctarer aſſentiri illis, qui originem animalium cultus, in eo perſpiciunt. De his omnibus nequidem ſomniarunt olim Aegyptii †), quorum Zodiacus, nil niſi ſchema praeeminentium Nomorum et Metropolium erat, quorum ſinguli ſub certis et propriis animalium ſpeciebus proponebantur et vnicuique pro dignitate et potentia, ſuus in hoc circulo locus erat aſſignatus. Et quot in Aegypto animalibus ſupplicarunt, quorum nomina in Zodiaco non exſtant? Non nulla in Zodiaco animalia, ab iſta veneratione ſunt excluſa, cujus rei cauſam nullam afferre poſſunt, qui originem cultus animalium inter Aegyptios, ex Aſtronomia, quae tum temporis adhuc in cunis, ſi ita loqui liceat, vagiebat, profectam eſſe ſtatuunt.

§. 10.

Veriſimilior eorum ratio eſt, quae ab animalium vtilitate deſumta ††). Aegyptios aequum duxiſſe exiſtimant, cognita, quae ex animalium vſu in homines redundat, vtilitate, divino ea proſequi honore. Bovem in Deos referebant, quia per ipſum

*) De Aſtrol. Tom. I. pag. 849. Macrob. Saturnal. Lib. I. Cap. XVII.

**) Kircher. Oedip. Aegypt. Tom. II. Part. II. pag. 160. Banieri Hiſt. de l'Acad. des inſcript. Tom. VI. p. 127 ſq.

***) Kirch. Obeliſc. Pamph. Lib. II. Cap. X. pag. 170. Porphyr. Epiſt. ad Anebonem Myſteriis Aegypt. praemiſſ. pag. 7. legi quoque poſſunt, quae Cherbury de Relig. gentili de cultu ſtellarum diſſerit. Cap. II. pag. 16. *et Cap. XIV. pag.* 247.

†) *Maneth. apoteleſm.* Lib. II. pag. 23. et 129 ſqq. et Pluche Hiſtoire du *Ciel. Part. I. Lib.* I. §. III. pag. 13 et 14. Deutſch. überſ.

††) *Diodor. bibliot. hiſt.* Lib. I. Cap. 87. pag. 75. Plutarch. de Iſid. et *Oſirid. pag.* 380. Cicero de natur. Deor. Lib. I. Cap. 36.

ipſum exercentes agriculturam, ſibi victum parabant *). Menes quoque Aegyptiorum Rex, perſpectis hiſce commodis et formoſitate tauri captus, reliquis omnibus animantibus ipſum praetulit **). Non in minori habuerunt pretio vaccas, oves, arietes et id genus alia, ob maximam, quam rebus domeſticis conferunt, vtilitatem. Fontem itaque cultus animalium, in eorum vtilitate quaeramus, neceſſe eſt. Haberent haec omnia ſpeciem, ſi vtilia duntaxat Aegyptii coluiſſent animalia. Cur vero praeter ea coluerunt noxia? Quae ab illis ſperanda vtilitas? Et qui cauſa cultus animalium eſſe poteſt, quod nihil habet vtilitatis, vel fructus?

§. II.

Ex neotericis fuerunt viri ingenio praeſtantes, qui exploratis veterum ſcriptorum rationibus, quibus indagandis maximam impenderunt operam, candide faterentur, ſe hucuſque genuinam cultus animalium cauſam ignoraſſe ***). Quod neſcio, an feciſſent, ſi veterum hac ſuper re opiniones et ſcita, rationi veritatem inquirenti, non nihil loci reliquiſſent. Moshemius vero pro inſigni, qua pollebat conjiciendi facultate, tutiorem in eruenda animalium cultus cauſa viam arripit †) et inprimis admittendum putat; quaedam animalia toti Aegypto quondam ſacra, quaedam certis tantummodo populis et oppidis fuiſſe. Iſta nemo omnium ſine capitis periculo laedere audebat: haec impune violare licebat iis, ad quas non pertinebant. Quae in commune colebantur beſtiae, vtilitatem conferebant devotis, caetera, quibus haec, vel illa duntaxat oppida ſupplicabant, partim erant perculoſa et pernicioſa. Non nulli venerabantur animalia, quaſi intermedia, ſine commodo et damno. Aegyptus non adeo ferox erat vtilium animalium ††), e contra belluarum abundabat copia et ferarum, humano generi inimica. Quapropter

*) Homer. Iliad. K. 293. et Odyſſ. Γ 383. Palladius in Hiſt. Lauſiac.
**) *Aelian. de animal.* Lib XI. Cap. X. etc.
***) *Iablonski* Panth. Aegyptior. Part. II. Lib. IV. Cap. IV. pag. 262.
†) *In notis* ad Cudworth. Cap. IV. §. XIX. pag. 421 ſq.
††) *Herodot.* Lib. II. Cap. 65. pag. 113.

propter gentium et vrbium conditoribus id religioni erat, publicisque legibus caveri, vt vtilia quovis modo animalia augerentur, noxia vero extirparentur et iſta e. g. ichneumon, ibis et id genus bruta, peſtiferis infenſa, conſervarentur. Vt autem eo major legum vis et obligatio foret, mutuo regum et ſacerdotum conſilio, religionis vinculo eas fuiſſe munitas, populoque inculcatum, has beſtias, quae Diis in delitiis eſſent, ſine ſcelere et Deorum graviſſima indignatione, male haberi non poſſe etc. Haec primam cultus animalium cauſam fuiſſe autumat.

§. 12.

Omnia haec acute et perquam appoſite dicta, non diffiteor. Aſt non nihil dubito, an vniverſa Aegyptus quaedam in commune coluerit animalia, et vellem ea recenſuiſſet vir ſummus. Nullum, quod ſcio, hujus cultus communis apud veteres exſtat exemplum, nec in Diodoro, Plutarcho aliisque quid ſimile obvium *). Praefecturae et civitates non vnam eandemque habebant originem, ſic neque eadem animalia, quae erant gentium ſymbola, coluerunt. Iuvenalis quidem canit: oppida tota canem venerantur, ſed non alia, quam quae dominio Cynopolitano erant ſubjecta vel foedere juncta. Par ratio, cur Nilopolitani, Memphitae, Heliopolitani, Hermunthitae coluerint bovem, quorum patres et conditores ex Iſidis et Oſiridis genere erant oriundi. Ne quidem ipſe Oſiris et Iſis, Aegyptiorum Deorum principes, eo dignati ſunt honore, vt ab omnibus terrae hujus incolis in commune eſſent culti, vt de Papremitis, Arſinoëtis, Phacuſis et aliis notum. Ne de minorum gentium Diis dicam.

§. 13.

Tantam olim in Aegypto fuiſſe jumentorum inopiam, vt incolis, ea Numinis loco habere, a regibus ſit praeceptum, aegre a me impetro, vt credam. Herodotus, qui non adeo feracem beſtiarum Aegyptum refert, ad ea, ni me omnia fallunt,

*) *Strabo quidem Lib.* XVII. id innuit, ſed rumore plebis deceptus vt *Herodot. de Iſidis et Oſirid.* vniverſo cultu. Lib. II. C. 42.

ſunt, loca reſpicit, quae verſus Heropolin in confiniis Arabiae deſertae, nili confluentis attingere et inundare non poterant, et quorum ſcorpius ob ſterilitatem ſoli, erat ſymbolum. Reliqua tam inferioris, quam ſuperioris Aegypti Provinciae, rebus omnibus, ad agriculturam et vitam neceſſariis abundabant, ſi Geographis et itinerariis fides. Si etiam ponamus, quod in vno, ſeu altero Aegypti nomo, animalium vtilium copia, cives defecerit et magiſtratus, reipublicae commoda promovendi ſtudio, leges tulerit, vt bonorum animalium numerus in dies creſceret, malorum vero diminueretur, ex eo inſtituto, in omnibus Aegypti partibus, religioſum animalium cultum ſua cepiſſe exordia, non video. Quod privata vnicuique ſuadent commoda, non indiget religionis vinculo.

§. 14.

Non minorem veriſimilitudinis ſpeciem habet argumentum, a differentia animalium, in Aegypto cultorum, mutuatum. Cauſam hujus diverſitatis non nulli ad regum calliditatem referunt *), qui, cum civium concordiam ſibi pacique nocere perſpexiſſent, vni hanc, alteri aliam beſtiam adorandam propoſuerunt, vt inter incolas rixarum et belli ſemina ſpargerentur. Quae ratio, etſi non paucis placet **), non omnibus tamen probatur. Poſtquam enim populis ſemel perſuaſum eſſet, Deos patriae certis gaudere animantibus et ſingularem illis indidiſſe vim et idem de peculiaribus ſuis Diis, quaelibet crederet civitas; ex animalibus patriis aliquod ſelegerunt, quod naturae Dei, quem reverebantur, reſponderet, nihil dubitantes, id inprimis Deo ſuo acceptum eſſe et idcirco cultus quodam genere non indignum. Haec ex romanae eccleſiae ritibus et ſanctorum, quos invocat, exemplo illuſtrantur. Fac illis ſanctorum cultoribus, hanc inſtillari opinionem, quemlibet ſanctorum, certum quoddam animal diligere, omnes confeſtim tutelaribus ſuis ſanctis populos ejuſmodi animalia conſecratum iri. En cultus anima-

*) Plutarch. Lib. cit. pag. 380.

**) *Borrichius* de Hermet. ſapientia. pag. 191 ſq. Rollins Hiſtorie alter Zeiten und Völker. 1. Theil. 2. Hauptſt. Seite 85 ſq.

animalium originem, ingenioſe ſatis concinnatam! verum iſta non ad cauſam, ſed potius ad progreſſum hujus ſuperſtitionis ſpectant, vt ex ſequentibus apparebit.

SECTIO. III.

DE
GENVINA CVLTVS ANIMALIVM ORIGINE.

§. 15.

Praemiſſis his obiterque diſcuſſis, ad rem ipſam accedam et quae mecum meditatus ſum, de prima portentoſi cultus cauſa, exponam. Nemo tamen me illum eſſe putet, qui omnes, quibus haec res involuta eſt; tenebras diſſipare poſſit. Satis eſſe reor, ſi aliquantulum lucis in has tenebras inferatur. Quod vt pro modulo ingenii faciam, prae omnibus obſervare velim, caute, quae ad ipſa cultus hujus primordia pertinent, ab iis ſecernenda, quae ſcriptores profani, vel ex ſacerdotum ore, vel vulgi interpretatione, venditant. Herodotus, Plutarchus et Diodorus, Aegyptiacae antiquitatis ceteroquin promus condus, corruptam diu gentis hiſtoriam, ſine ordine et ſelectu nobis deſcribunt, et varias hac de re opiniones enumerant. De ipſa rei indole et hieroglyphico, quem antiquitus habuerunt, ſenſu, perpauca apud eos inveniuntur veſtigia, quae, ſi ſequamur, ad devia ducunt incautos. Tutius ex ipſis eſt haurire fontibus, quos jam properamus adire.

§. 16.

Conſentiunt in eo fore omnes, priſcos Aegyptiorum Deos, homines fuiſſe, geſtorum fama et quibus gentem affecerunt, beneficiorum copia inclitos *), quorum memoria ne interiret, grata in eos pietas anniverſarias inſtituit ceremonias, quibus *facta et* merita ſpectantibus ob oculos ponebantur. Cum ita *ipſi conditores* chari eſſent, magnum ſui poſteris deſiderium relin-

*) *Cicero de natur.* Deor. Lib. III. Cap. XIX. et Clem. Alexandr. ſtromat. *Lib. III. pag. 303.*

relinquebant et eorum ſimulacra fingebant, vt ex imaginum contemplatione voluptatem caperent, ex quo honores illis habere tanquam Diis, ceperunt, virtutis praeſertim acuendae cauſa *). In hiſtoria horum Numinum, animalia non infimum occupabant locum, in quae, vt fata tulerunt, erant mutata. Maxima quae reverebantur Numina, nil niſi gentium erant Hieroglyphica, et animalia, quorum figuras induerant, ſymbola, quorum varietas in diſcrimine originis et locorum, quae incolebant, erat ſita, in quibus illuſtrandis alibi multus fui, quae ſi hic repetere vellem, actum agerem.

§. 17.

Ex iſta Aegyptiorum conſuetudine, vrbes et populos, ſub animalium corticibus exhibendi, quae poſtea inter omnes barbaros obtinuit, et in antiquiſſima nationum origine ſuum habet fundamentum, dijudicare licet, animalia phyſice conſiderata, hic nullatenus in cenſum venire. Quis ſanae mentis ſibi imaginari potis eſt, Aegyptios crediſſe, Iſidem in vaccam, Oſiridem in lupum, Anubidem in canem, Typhonem in hippopotamum, eſſe transformatos? Haec animalia bubaſin, lycopolin, cynopolin et papremitas ſignificabant, quae vrbes et populi, iſta Numina exceperant et in ſinu ſuo ad tempus foverant. Qua de cauſa, in hiſtoria horum Deorum alteram faciunt paginam et in eorum feſtis vbique in beneficiorum, quae in ea collocarunt, memoriam praeſto ſunt.

§. 18.

Solennia, in recordationem conditorum, ſeu vt cognominantur, Deorum **) decreta, ſtatuto tempore, pro ſaeculi genio, ſine luxu celebrabant et hymnis rudi Minerva elaboratis, gratam erga majorum merita, mentem exprimebant. Simulacra Deorum et ſymbola non ſecus erant comparata, ſine arte et ornatu ***), quorum adſpectu in memoriam revocabant omnia, quae

*) *Polydor. vergiliuſ.* de rerum inventoribus. Lib. I. Cap. V. pag. 23.
**) *Diodor. Hiſtor.* Lib. I. pag. 12.
***) *Marſham* Can. Chronic. Secul. IV. pag. 57.

quae ex traditione patrum de beneficiis et geſtis numinum noverant, et hilari animo praedicabant. In hiſce ceremoniis nihil offendimus, quod non ipſa virtus approbat.

§. 19.

Creſcente ſenſim gentium potentia vrbiumque opulentia, ritus et ſolennia, ſua quoque ceperunt augmenta. Vna aemulabatur cum altera civitas et praefectura, in exornandis imaginibus et procurandis omnibus, quae ad feſtorum ſplendorem et majorum, in quorum honorem erant adornata, gloriam conferre poterant. Aptabantur extra civitatum muros, in collibus, nemoribus, vel arvis, loca, certo ſpatio determinata, aggeribus incluſa, vbi ſelecta juventus, figuram animalium ſymbolo patrio conformem, induebat et facta et merita hierogl. Numinum, in theatro quaſi ad vivum imitabatur.

§. 20.

In feſtis Iſidis et Oſiridis ludis, qui in hiſce locis, ſeu palaeſtris peragebantur, canes pompam antecedebant *), qui furore frendentes, in Typhonis monſtrum ſaeviebant **). Anubis canum Numen, fidiſſimus Iſidis, membra Oſiridis quaerentis, comes, ob ſuppetias, quas in ſupprimendis feris, vel hoſtibus Oſiridis, ejuſque regno conſervando, quavis data occaſione, tulit, titulo: *τȣ οσιϱιδος Φϱȣϱȣ*, ſive Oſiridis protutoris, mactatus eſt. Haec Cynopolitanorum merita, cum nullis quidquam concederent, illis praerogativam compararunt, vt prae reliquis omnibus, ludicram pompam antecederent.

§. 21.

Pro diverſa Deorum hiſtoria, vrbiumque et populorum origine, diverſa erant animalium ſymbola, ſub quorum figuris eorum facta et fata aſſimulabant. Ob id diſcrimen, non vna eademque inter Aegyptios erant feſta, non vni ritus et ceremoniae, non eaedem actiones et ludi. Nilopolitani ſub ſerapis, Memphi-

*) *Diodor.* Lib. cit. Cap. 87. pag. 75.

**) *Virgil.* Lib. VIII. Aeneid. v. 698. et Ovid. Metamorph. Lib. IX. v. 692 ſq.

Memphitae apis, Heliopolitani Mnevis, Hermunthitae onuphis, Mendeſii hirci, Arſinoëtae crocodili, Saitae ovis, Butani muris aranei, Bubaſtitae felis, Thebani arietis etc. figura, ludebant hieroglyphicam majorum ſeu Deorum ſuórum hiſtoriam, cujus originem ſigillatim explorare et ex primis fontibus deducere, nimis longum foret. Meminiſſe tamen hic juvabit, hujus varietatis cauſam, non in arbitraria animalium optione, vel regum calliditate, vel civium vtilitate, vt ſupra modo notatum, eſſe fundatam.

§. 22.

Vt decenter fierent omnia, nec Palaeſtritae furore incenſi, modum excederent et limites, viri graves illis praeficiebantur, quorum moderamine, ludicrorum actus dirigebantur. Erant et illi ſimul arbitri, qui ſuum vnicuique pretium, honorem et praemium ſtatuebant. Et vt eó majorem feſtorum ritibus admirationem et applauſum conciliarent, in diebus feſtis communiter comparebant certis veſtimentis amicti, quae notis et inſignibus, naturae ſymboli congruis, erant ornata. Cum feſtorum pompa et ceremoniarum, augebatur horum moderatorum auctoritas: agentibus leges praeſcribebant, et ad gentis palatum et rituum luxum, vt oculos plebis et animos magis magisque faſcinarent, cuncta ordinabant. Videmus hic originem lucorum ludorumque olympicorum in vniverſo paganiſmo.

§. 23.

Reges et Magiſtratus, cum non parum ex his inſtitutis et juventutis exercitiis emolumenti, in rempublicam redundare adverterent, non ſolum ratihabebant omnia, ſed et ingentes ad rem amplificandam ſubminiſtrabant ſumtus. Curatores, quibus hoc demandata erat provincia, privilegiis, opibus et dignitatibus cumulabantur et a communi hominum coetu exemti, peculiare faciebant collegium, in quo, conſentiente magiſtratu, omnia, quae ad ritus, ceremonias, feſtorumque *magnificentiam* conducerent, deliberabant et pro votis decidebant. *Inprimis* id ſibi nunc curae et negotii datum putabant, *vt artifices* Deorum ſimulacra animaliumque ſymbola, ſecun-

dum regulas artis ſtatuariae, eleganter exaſciarent, pretioſa exſtruerentur aedificia, in quibus tanquam arce reſidere poſſent *). Quidquid populi ſenſus afficere et in admirationem rapere poterat, ingenioſa artificum manus ſtatuis hieroglyphicis affinxerat, vt nil niſi vita deeſſe videretur. Facile divinando aſſequi poteſt, qui noverit hominum indolem, ad quaevis ſuperſtitioſa proclivem, quid adſpectus horum ſymbolorum, quae figura, geſtu, ore et manibus, ſua in populum merita loquebantur, effecerit et quantam erga illa excitaverit devotionem. Prima hic origo ſacerdotum et templorum.

§. 24.

Haec vt devotio altiores in animis radices ageret, e re ſua eſſe cenſebant Antiſtites et ludicrorum praefecti, vt inventis quid adderent novosque feſtorum ritus introducerent, qui non diſſimiles iis, quibus honorabantur reges. Sic vſu veniebat, vt coram ſymbolis, caput curvarent, genua flecterent, manus oſcularentur et ad ea extenderent, munera ſive terrae, ſive fructus cernui offerrent etc. Reges aeque ac populorum Magnates, publicis hiſce ceremoniis intererant ſuoque exemplo mirum in modum amplificabant. Iſthaec, et quae id genus ſuperſtitionis, praeludia, quae ab initio mere erant civilia, regni tenebrarum fundamenta, adminiculo calliditatis, jecerunt et ignarum vulgus gradatim ad portenta traxerunt **).

§. 25.

Inſtillatis nunc ſemel praejudiciis, vlterius progredi omnibusque et ſingulis perſuadere conveniebat, Numina ob merita et virtutes, quibus in terra ſplenduiſſent, ſupra hominum ſortem longe elata, multo majorem jam poſſidere poteſtatem, vt malis mala, bonis quaevis bona et fortunas poſſent impertiri. Oporteret ideo omnes, qui ſe ipſos amarent et ſuis commodis impenſe

*) *Arnob. Lib. VI.* adverſ. gent. p. 192.

**) *Ex his ſatis elucet*, animalium cultum non cum initio gentium, ſed *poſt longa intervalla* inter Aegyptios invaluiſſe. Quae Schukford Harm. *ſacr. Part. II. Lib.* VIII. §. 1 ſq. differit, merito reprehendit Warburton *in der Otl. Send. Moſ.* Part. II. Lib. IV. pag. 257.

impenſe ſtuderent, vt praeceptis et legibus, quas hominibus tuliſſe perhibebantur, gnaviter obſequerentur, ne eorum indignationem irritarent, ſed omnigena beneficiorum genera, ab ipſis impetrarent. Animalia, ſub quibus olim delituiſſent, aequum foret, pariter veneratione proſequi, quia vivae eorum eſſent imagines, quibus inſitae divinitatis teſſerae et virtutes, quae laedere nefas et piaculum. Quo factum, vt ſiquis tale animal, vel caſu, vel ſtudio violaret, totam, cui ſacrum erat, gentem violaſſe exiſtimabatur, quod non raro cruenta inter vrbes et populos, civit bella.

SECTIO. IV.

DE PROGRESSV CVLTVS ANIMALIVM.

§. 26.

Ne incepta tam veſanae religionis ſtrues corrueret tuteque ſuo ſtaret talo, in id ſedulo incumbebant, vt priſcam Hieroglyphicorum opinionem hiſtoricam, ex hominum animis funditus evellerent et nova ejus loco commenta ſubrogarent. Numina, quae antiquitus nil niſi gentium et vrbium Hieroglyphica fuerant, quibus omnia, ab earum conditoribus et ducibus praeclare geſta, attribuebantur, in perſonas mutabant, qui e vivis ſublati et ad aethereas oras profecti, rebus humanis adhuc intereſſent: genios earum mole corporis liberos et in ſtatu eminentioris perfectionis collacatos, in animalium ſymbolis habitare cultumque, quem illis praeſtarent, non beſtiis, ſed geniis Deorum coeleſtibus, offerri, magno auſu portendebant Hierophantae. Vt paucis complectar omnia: ex hiſtoria Hieroglyphicorum, novum quoddam philoſophiae ſyſtema conflabant, in quo principia et elementa naturae, vires et effectus ad ſymbola applicabant, vt haberent, quod ſciſcitantibus opponerent.

§. 27.

Genios Deorum ſenſibus et oculis hominum ſubductos, *cabant* *Θεȣς νοητȣς* Deos, ſolo intellectu cognoſcendos et

dum, vbi nunc degerent, κοσμον νοητον intelligibilem, ſeu mundum ſolo intellectu capiendum. Deorum vero ſymbola oculis objecta, Θεες αιϑητες Deos ſenſibus percipiendos et adſpectabiles, quibus erat κοσμος αιϑητος, vel mundus ſenſibilis inter mortales *). Hic mundus ſenſibilis eſt receptaculum omnium ſenſibilium ſpecierum, qualitatum, vel corporum, quae omnia ſine Deo vegetari non poſſunt, et omnia, quae in eo ſunt, a ſuperiori illo mundo, nempe intelligibili, quaſi veſtimento ſunt contecta **). Κοσμος νοητος erat Archetypus, ad cujus amuſſim κοσμος αιϑητος a conditoribus, ſeu numinibus νοητοις, erat creatus. Diſtinctio haec inter ſuperiora et inferiora, vel intelligibilia et ſenſibilia numina, argumento eſſe poteſt, quid ſacerdotum Aegyptiorum ſchola, ex ſcientia hieroglyphica confinxerit.

§. 28.

Vt apud credulam plebem, eo majorem commentis et ſomniis fidem invenirent, genios Deorum in ſtatuas migraſſe, illis eſſe praeſentes, et hominibus apparere docebant ***). Ex hoc principio animarum immortalitatem, ſua ſponte ſequi, facile intelligitur, quam Aegyptios, primum inter omnes barbaros, crediſiſſe dicitur †). De reliquis hujus Theologiae recens excogitatae partibus, prolixius agere praeſentis non eſt inſtituti. Id vnum addere ſufficiet, magnam inter ipſas ſacerdotes fuiſſe diſcrepantiam ††), ac in diverſas et inter ſe diſſonas relationes, dogmatumque explicationes abiiſſe ac abire debuiſſe, pro diſcrimine Deorum, qui non omnes vnius generis et naturae, nec eadem ſymbola ac merita habebant. Quocirco fieri non poterat, quin in Aegypto multae eſſent de ſacris opiniones, aliterque Bubaſtiti, aliter Saitani, aliter Memphitani, aliter Heliopolitani ſacerdotes de Diis, illorum geniis, natura

*) *Clem. Alexandr.* *ſtromat.* Lib. V. p. 593. et Robert. Balforeus in *Comment. in Cleomed.* Meteorol. Lib. I. p. 133 ſq.

**) *Aſclepius*, graece τελειος λογος, ab Apuleo latine verſus.

***) *Diod.* *Lib. cit.* Cap. XII. pag. 12.

†) *Herodot.* Lib. II. c. 123.

††) Diod. Lib. cit. Cap. XV. pag. 22.

natura et indole docerent, totque ſenſus imaginum hieroglyphicarum et ſacrorum animalium, quot erant ſacerdotum collegia.

§. 29.

Ex hoc ſacerdotum ſentina hauſerunt Graecorum philoſophi et hiſtorici quidquid de Aegyptiorum ſacris nobis tradiderunt. Iſis eſt terra, vel natura rerum ſubjacens ſoli, vel natura aevi, ex qua nata ſunt omnia, et per quam omnia exiſtunt. Juxta Plutarchum *) Iſis ea eſt naturae pars, quae quaſi foeminea omnes in ſe recipit ortus, tanquam nutrix quaedam, a multis dicta Myrionymos, id eſt innumeris praedita nominibus, quae ratio eam in omnes formas ſpeciesque vertat. Eſt quoque ventorum domina, vt quemcunque volet, emittat, vel prohibeat ſpirare. Oſiris ſol eſt, Iſis luna, Oſiris nilus, Iſis terra, cum qua congreditur **). Mitto plura hujus furfuris figmenta.

§. 30.

De animalibus, ſummorum Deorum ſymbolis, non meliora ſunt, quae nobis obtrudunt. Apis eſt omniparentis Deae faecundum ſimulacrum, ſeu ſymbolica terrae imago ***). Felis repraeſentabat lunam, ob animalis illius varietatem et vim noctu agendi et faecunditatem †). Hircus ob faecunditatem, ſeu membrum genitale, inter Deos eſt relatus ††). Anubis eſt circulus, ambo hemiſphaeria tangens et dirimens, qui a definiendo Horizon, dicitur ambobus communis, ac forma cani adſimilatur, quia canis viſu perinde noctu vtitur atque interdiu, et eam apud Aegyptios videtur obtinere vim, quam apud Graecos Hecate. Numen ſimul terreſtre ac coeleſte †††). Quae omnia ambiguis vocibus prolata, vero ſenſu ſuppreſſo, pro vniuscujusque captu explicari poterant, a Philoſophis autem craſſe intellecta, interpolataque fuere.

*) *De Iſid. et Oſirid.* pag. 372. **) Idem Lib. cit. pag. 363.
***) *Idem Lib. cit.* pag. 366. pulcra Oſiridis animae imago. pag. 362.
†) *Idem Lib. cit.* pag. 376. ††) Diodor. Lib. I. p. 78 ſq.
†††) *Plutarch.* Lib. cit. pag. 368.

§. 31.

Patres primitivae eccleſiae principiis Philoſophiae, quae tum temporis in orbe caput extollebat, platonicae inſtructi, illius ſaeculi ſapientiam tanti fecerunt, vt eam per inferiores angelos graecis a Deo datam et coeleſtis, quam Chriſtus docuit, veritatis ſemina, in iſta eſſe recondita, imo ipſas per Graecorum philoſophiam paſci animas crederent *), falſi hoc auctoritatis praejudicio, ſeſe eo abripi paſſi ſunt, vt deliria philoſophorum, de religione et diſciplina arcani Aegyptiorum, oracula eſſe opinentur, quae pro aſſumta philoſophandi methodo allegorica, ſusque deque interpretantur. Boni illi viri, qui rerum, quas tractabant; non ſatis erant periti, innumeros in eosdem praecipitarunt errores, qui inter neotericos, caecos hoſce duces ſequuntur. Verum iſta obiter.

§. 32.

Diſſeminatis et vbique diligenter propagatis, de Numinum et ſacro animalium cultu, opinionibus, tota ſacerdotum Theologia ad conſervandam earum auctoritatem, religionis devotionem et ad rationes ſtatus politici tuendas, maxime collineabat. Sacerdotes tamen, qui falſa ſymbolorum animaliumque expoſitione, aliis fucum faciebant, arcanum ſemper placitum de rebus ſacris habuerunt **), quod ni fallor, de prima Hieroglyphicorum ſignificatione et genuina animalium cultus ratione, intelligendum eſſe, ſuſpicor. Ab anteceſſoribus haec arcana illis erant tradita, quae vnus alteri myſtagogus denuo revelabat. Sed cavere tamen non potuit aſtutum impoſtorum genus, quin aliis, quibus ratio inerat et ingenium, faſcina ſubaluiſſent. Periculoſae id erat plenum opus aleae, quo nihil religioni, commentis et dolis ſuperſtructae, ſibique pernicioſius accidere poſſe facili opera augurabantur. Conſilio igitur et prudentia erat opus, ne arcana effutirent naſutuli, vel ludibrio vulgi exponerent. Multo ſatius eſſe judicabant, ſi religionis, ceremoniarum-

*) *Clem. Alexandr.* ſtromat. Lib. VII. Cap. II. pag. 823. et Lib. I. *Cap. IV. p. 319.*

**) *Diodor. Lib. I.* Cap. 80. pag. 74.

niarumque origines, e conſpectu hominum removerent et in abditis templorum receſſibus, tenebris involverentur. Haec prima inter omnes barbaros, Myſteriorum Exordia, quorum copia illis duntaxat fiebat, qui ſatis tentati et rite erant initiati *). Ab eo tempore non magis omnibus ea, quae erant apud ipſos, committebant myſteria, neque rerum divinarum cognitionem deferebant ad profanos, ſed ad eos ſolos, qui erant ad regnum perventuri et ex ſacerdotibus iis, qui judicati fuerant probatiſſimi et educatione et doctrina et genere.

§. 33.

Vt myſteriorum, quae fidei et ſilentio initiatorum erant concredita, eſſent vbique memores, in templis Sigalionis ſimulacra ſacrabant et ante foras Sphinges collocabant. Id eum in finem fieri innuebant ſacerdotes, quoniam rerum ſacrarum doctrina, conſtaret perplexa et ſub involucris latente ſapientia **) concinunt huic et alii, qui Aegyptios ideo ante templa poſuiſſe Sphingas dicunt, quod doctrina, quae de Deo eſt, aenigmatica eſt et obſcura ***). Praeter Sphingas, quoque Harpocratis ſtatuae in templis ob oculos ponebantur, qui premebat vocem digitoque ſilentia ſuadebat †), vt praeſes atque rector recentis atque imperfectae et incompoſitae hominum, de Diis ſententiae. Verum, hanc Aegyptiis non fuiſſe cauſam, cur Sphinges, vel hierogl. Harpocratis ſtatuas, ante templa collocarent, ſciunt omnes, qui arcana myſteriorum adyta perluſtrarunt, et reminiſcuntur, quae tradantur myſteriis ††). Sphinges aeque ac Harpocrates, antiquitus aliam habuerunt ſignificationem et rationem †††), ſed ad tuendam falſam religionem,

*) Clem. Alexandr. ſtromat. Lib. V. Cap. VII. pag. 670.

**) Plutarch. Lib. cit. pag. 354.

***) Clem. Alex. ſtrom. Lib. V. Cap. IV. p. 664.

†) Ovid. Metamorph. Lib. IX.

††) Cicero Quaeſt. Tuſcul. Lib. I. Cap. XIII. pag. 2579.

†††) *Plutarch. Lib. cit.* pag. 377. Gisbert. Cuperus in id totus incumbit, vt *ex Harpocrate ſolis* imaginem exculpat, qui nihil tamen eſt, quam ſymbolum recentiorum, in nomis et praefecturis vrbium, quae ab Iſidis et *Oſiridis poſteris* erant exſtructae.

gionem, antiqua ſymbola novum admittere ſenſum, ſeque commodo et ingenio ſacerdotum accommodare tenebantur. Mirum quoque non eſt, ſi hanc ſerpentinam ſacerdotum ſapientiam perpendamus, cultum animalium, imo totum tenebrarum regnum, tot ſaecula perduraſſe.

SECTIO. V.

AN CVLTVS ANIMALIVM DIFFERAT AB IDOLOLATRIA?

§. 34.

Praecipuum idololatriae objectum erant Numina hieroglyphica, ſub quibus conditores et duces vna cum gentibus, quas condiderant et in alienas oras, vt colonias duxerant, repraeſentabantur, quorum nomina, ex origine et regione patria compoſita, vrbibus, quas fundabant, ad perpetuam majorum memoriam, fuerunt indita. Mutatis in perſonas ſingulares, ſymbolis, quae ob ingentia merita et in gentes beneficia, divinis honoribus donatae eſſent et dignae, vt Iſis, *Oſiris*, *Horus* etc. divinum quoque illis cultum exhibuerunt et tam varia ſunt inſtituta ſacrificia, et Deos expiandi ritus et rationes, vt eorum vix fuerit numerus et finis. Hinc proprium et verum cultus idololatrici objectum, homines, non quidem lege mortalium, ſed flaminum arte, prognatos fuiſſe, tota clamat hierogl. antiquitas.

§. 35.

Communem hanc, de primario cultus idololatrici objecto, ſententiam, vir quidam literatiſſimus deſtruere conatus eſt *). Argumenta, quibus ad hanc ſententiam probandam, vtuntur, ex Graecorum myſteriis petita, nihil hac in re demonſtrare judicat, *quia Aegyptiorum* myſteria a Graecorum toto coelo differunt. *Veriſimile* eſſe, in antiquiſſimis Aegyptiorum myſteriis, doctri-

*) *Paul.* Iablonski Panth. Aegypt. prolegom. Cap. II. §. II - XX.

doctrinam de aeterni Numinis vnitate, de animarum immortalitate, praemiiſque et poenis, poſt vitam diſtribuendis, inculcatam fuiſſe. Homines fuiſſe, quos Graecia pro Diis habendos et colendos eſſe edixit: Aegyptios vero nullo cultu heroës proſecutos *), hinc αποθεωσιν Graecis familiarem, Aegyptiis penitus eſſe incognitam. Hiſce aliiſque, in quibus exornandis occupatus eſt vir laudatus, rationibus adſtruere allaborat, Aegyptiorum Deos non fuiſſe mortales homines talemque opinionem, merum eſſe Graecorum figmentum etc.

§. 36.

Vnanimi veterum conſenſu conſtat, Aegyptiorum myſteria ad Graecos tranſiiſſe et ſingularem inter vtriusque gentis myſteria, reperiri ſimilitudinem, quod non diffitetur vir eruditiſſimus. Differebant tantum in eo, quod diverſos Aegyptii et Graeci Deos colebant et ita diverſa de iis in myſteriis, vt in Perſarum, Samothracum et Eleuſiniis myſteriis, tradita ſunt et perhibita. Quis ex iſta differentia objectorum, quae praecipuum erant myſteriorum argumentum, colliget, Aegyptiorum Deos non fuiſſe homines? Multo magis ex eo ſequitur, myſteria gentium ideo inſtituta, quia Dii, quos adorabant, re ipſa mortales, ob virtutis meritum, ad illud divinitatis faſtigium fuerant evecti. Herodoti teſtimonium, ad quod provocatur, et qui docet, Aegyptios heroës nullo cultu eſſe proſecutos, veritati ne quidquam praejudicat. Aegyptiorum Dii non fuerunt heroës, nec proceſſu temporis, ſuos Deorum conſortio adſcripſerunt heroës, vt moris erat inter Romanos, qui toties altaria divum addebant et ſpoliis ſibi nova Numina faciebant, quoties ducis currum plauſibus exceperant. Certe, ſi haec conſuetudo in Aegypto obtinuiſſet, Buſiris, Oſmanduas, Seſoſtris et alii, in Deorum cenſum fuiſſent relati. Mitto reliqua, quae tanti non ſunt momenti, vt ab ea, quam amplexus ſum, opinione diſcederem.

*) *Herodot. Lib. II. Cap. 50.*

§. 37.

Ad rem, a qua pauliſper digreſſus ſum, redeo, nempe ad animalium cultum. Inſolentem beſtiarum religionem vocat Diodorus et quaeſtione dignam *): ſed ſi omnia, quae de cauſis et indole hujus cultus diffuſe et confuſe tradit, ad rationis et antiquitatis trutinam examinemus, proletaria ea eſſe, nec ipſum ſibi ſatis conſtitiſſe, apparet. Anceps haeret vbique et ambiguus: concedit, quod admiranda ſint et fidem ſuperent, quae ad cultum ſacrorum animantium peragunt Aegyptii; quod magna perplexitas, cauſas illorum ſcrutantibus, objiciatur, quod narrare illa quidem facile, ſed narranti credere ſit perdifficile etc. Quae nos omnia docent, nihil certi de cultus animalium indole et differentia, ex his definiri poſſe.

§. 38.

Sub idolis non verum, vt non nulli volunt, ſed *falſos* quosque ſibi ipſimet Deos fecerant Aegyptii, venerati ſunt et eorum ſuperſtitio non indebiti, ſed falſi cultus merito appellatur. Animalium ſimulacra eo non dignabantur honore, ſed tantum per accidens, vt cum ſchola loquar, *et externo* honoris cultu materiali, qui non ad ipſas imagines, ſed ad eos, quos exhibent ſimulacra, Deos, terminatur. Symbola erant et vmbrae, in quibus virtutes et merita Numinum, quae ſub idolis adorabant, quodam modo colebant. In his animalium ſacris, quaedam habebant morales vtilesque cauſas, alia vero expertia non erant elegantiae cujusdam hiſtoricae, aut naturalis **). Ad id quoque reſpicere videtur Porphyrius, cum inquit: Aegyptii per Nomorum ſuorum animalia, venerabantur Dei in res omnes poteſtatem, quam ſinguli Deorum declararent ***). Poteſtas vero referenda eſt ad virtutes Numinum, quas animalia imagines exprimebant.

§. 39.

*) *Bibl. hiſtor.* Lib. I. Cap. 83. 84 ſq. **) Plutarch. Lib. cit. pag. 353.
***) *De abſtin.* Lib. IV. Cap. IX.

§. 39.

Plato diſerte, juxta ſacerdotum Aegyptiorum theologiam, animalium ſymbola, vt viſibilia Numinum ſupremorum ſigna, ab inviſibilibus Diis, ſub idolis contentis, diſtinguit. Hos non videmus ait, ſed eorum imagines fabricamur, eosque licet inanimes, dum honoramus, Deos ipſos viventes exiſtimamus, ob id maxime nobis gratos et propitios fore *). Patrum teſtimoniis et id corroborari poteſt; nonnullos eſſe referunt, qui imagines quidem has eſſe dicunt, Deos autem eſſe, quorum hae ſint imagines **). Omnes etiam vno fere ore profitebantur ſapientiores, ſimulacra ejusmodi non eſſe per ſe Deos, neque religioſa decreta Numina, ſed ea in his colere eos et venerari, quae dedicatio ſacra infert ***); ſe non colere ipſa ſimulacra, ſed Numina, quae per ea ſignificantur ****) Lucianus nullam ſane fidem meretur, qui nobis vult perſuaſum, apud Aegyptios antiquitus templa absque ſimulacris et ſtatuis fuiſſe †), quae tamen ob Deorum ſymbola fuerunt condita. Et hunc ſimulacrorum ſeu ſacrorum animalium cultum, ab ipſa idololatria differre, ex ſupra allatis modo conſtat ††).

§. 40.

Non mediocriter in ea me confirmat ſententia, quod ſacris animalium ſymbolis nulla, vt idolis ſolebant, oblata ſint ſacrificia. Antiquitus immolare homines moris erat et ſumma hiſce cruentis victimis placare Numina. Homines, qui coloris, quem habuit Typhon, erant, ad tumulum Oſiridis a regibus mactabantur †††). Plutarchus ex Manethone tradit, quod homines ejusmodi coloris, quos Typhonios vocarunt, in vrbe Ilithyiae vivos combuſſerint, cineremque ventilando diſſiparint atque aboleverint ††††). Herodotus quidem negat, immanem hunc homi-

*) De Leg. Lib. XI. p. 682. **) Athenag. Orat. pro Chriſtian.
***) Arnob. Cont. gent. Lib. VI. p. 120 et 123.
****) *Hoſpinian. de templor. Origin.* Lib. II. Cap. XVI. pag. 218.
†) *De Dea Syria.* Tom. III. p. 749.
††) *Refragatur* Buddeus Hiſt. vet. Teſt. Period. I. Sect. III. pag. 368 ſq.
†††) *Deod. Lib. I.* pag. 79. ††††) Plutarch. Lib. cit. pag. 380.

homines mactandi ritum, ſeu ανθρωποθυσιαν, inter Aegyptios vnquam vſu receptum eſſe *), ſed ex aliis ſcriptoribus fide dignis palam eſt et teſtatum. Veſtigia enim execrandi hujus ſacri apud Aegyptios, in victimarum ſigillo manſiſſe videntur **) ſacerdotes bovem immolandum ſigillo impreſſo notabant. In ſculptura autem ſigilli, vt retulit Caſtor, exprimebatur homo in genua deſinens, manibus poſt tergum deductis, enſe jugulo imminente. Abominandum hunc ritum, humana idolis immolandi ſacrificia, ſuſtulit Amoſis, totidemque imagines hominum cereas magnitudine illis aequales ſubſtituit ***). Supervacaneum id fuiſſet, niſi cruentae hominum victimae, ab antiquo inter Aegyptios fuiſſent vſitatae, quarum Originem plerisque hucusque obſignatam, detegere, mei non permittit inſtituti ratio.

§. 41.

Animalibus ſacris, hujus generis ſacrificia, quod ſcio, non ſunt facta. Id ex veterum ſcriptis novi, animalia illis, vt apidi, publico hominum conventu, eſſe ſacrificata. Boves haec erant ſacrificia, qui adhibita exploratione puri deprehendebantur †), quaſi bove immolato, placare bovem ſtuduiſſent, quos honores tamen ipſe dedignatus eſt apis ††)? Quia ſi ſciviſſet, hos non ſibi honores et victimas, ſed illi, cujus viva erat imago, offerri. Dedignari enim non potuiſſet, ſi talia ſibi competerent. De etiam aliis, quae praeter ea, beſtiis facta ſunt, ſacrificiis idem ſentiendum judico. Quae cum ita ſe habeant, vix vllum ſupereſt dubium, animalium cultum ab ipſa idololatria, cujus partes eſſentiales erant et conſtitutivae ſacrificia, longe fuiſſe diverſum †††).

§. 42.

Hoc diſcrimen inter idola et animalium ſimulacra et cultum, quem illis praeſtabant, non minus videre eſt ex funere et

*) *Lib. II. Cap. 45.* **) Plutarch. Lib. cit. pag. 363.
***) *Marſham. Canon.* Chron. pag. 317.
†) *Herodot. Lib. II. Cap.* 38. ††) Plutarch. in vita Cleomen. pag. 821.
†††) *Plutarch. Lib. cit.* pag. 382.

et ſepultura Apidis, Anubidis, et reliquorum animalium ſymbolorum, quae omnia magnifice et ſumtuoſe peragebantur; de imolarum luctu et planctu, quibus aedes et vrbes implebant *). Nemo credet, haec funeralia animalibus ſacris eſſe facta. Erant parentalia, ſolennesque exequiae, quas extinctis beſtiis, in memoriam Oſiridis, Anubidis etc. celebrabant, et luctum, quo olim haec Numina proſecuti erant, renovabant **). In beſtiis itaque colebantur ſumma Aegyptiorum Numina et quidquid illis in vita et morte exhibebatur, his exhiberi cenſebant. Satis iſta puto, cultum animalium ab idololatria eſſe diſtinctum, demonſtrant.

SECTIO. VI.

DE
CVLTV IDOLOLATRICO INTER IVDAEOS.

§. 43.

Hebraeos in luce divinae revelationis, a majoribus accepta ambulaſſe avitamque religionem diu conſervaſſe puram et illibatam, non eſt, cur dubitemus. Si in hac cognitionis luce, Patriarchis a Deo accenſa et eorum poſteris tradita perſtitiſſent, nunquam a patrum fide et veri Numinis cultu, deſciviſſent. Aſt exſtinctis pedetentim radiis, cultuque veri Dei negligentius habito, nox atra incubabat et gentem, divinitus inſtructam, in profundum idololatriae et ſuperſtitionis Barathrum egit praecipitem. An vivis adhuc patribus v. g. Noacho, quaedam modo in doctrinam et veri Dei cultum corruptio furtivo quaſi greſſu, irrepſerit et haec peſtis fidelium familiam infecerit, non anxie hic inquiram.

§. 44.

Populus Iſraeliticus, cum a veritate religionis defeciſſet, propria tamen non habuit idola, nec peculiarem inveniſſe cultum

*) *De his Solinus*, Amianus, Lucian. etc.
**) *Diodor. Bibliot.* Lib. I. pag. 19.

tum videtur. Gens erat miſcellanea et idololatriam eorum incitabatur, inter quos commorabatur. In Aegypto colebat terrae hujus Numina, in deſerto Diis Cananaeorum, Ammonitarum, Moabitarum et ſupplicabat; in terra promiſſa Phaenicum, Syrorum aliorumque finitimorum populorum, Deos adorabat *). R. Iuda obſervat, Iſraelitas in deſerto vbique conſediſſe et ibi idola ſibi confeciſſe **) non nova, vt quis conjicere poſſet, vel hucusque incognita, ſed antiqua gentium fere omnium ſimulacra Deorum, eſſe imitatos ſanctosque verae religionis ritus, cum ſpuriiſſimis paganorum moribus commutaſſe, certum eſt.

§. 45.

Prae omnibus Aegyptiorum ſacris adhaeſerunt Iſraelitae, quorum moribus, cum in Aegypto verſarentur, ita aſſuefacti erant, vt nulla fere, niſi ſolius nominis diſcrepantia, inter vtramque gentem intercederet. Caeco quaſi impetu, ad omnis generis abominationes Aegyptiorum, quae vniverſum pervaſerunt orbem, ruebant, quod ex diſertis S. Scripturae teſtimoniis liquet ***). Iſrael et Iuda ſub fictis nominibus, vt duae mulieres, vnius matris filiae, quarum major Ahola, alia Aholiba vocatur, deſcribuntur, quae fornicatae ſunt in Aegypto, et in adoleſcentia ſua ſcortatae ſunt, nec ab Aegypto ſcortationes allatas dereliquerunt †). Ex quibus locis intempeſtivam Iudaeorum propenſionem, ad Aegyptiorum idolomaniam, ad inſaniam vſque, cernere quilibet poteſt.

§. 46.

Idem antiquorum teſtimoniis firmatum reperimus, quod non ſolum mandatis, ſed etiam Numinibus Aegyptiorum, vbique ſe murigeros praebuerint Iſraelitae. Rediiſſe dicit illos Maimonides illic, ad diſcenda illorum (ſcilicet Aegyptiorum) opera et idola colenda ††) notatu quoque dignus eſt Euſebii locus

*) *Calmet.* Diction. Bibl. Part. I. pag. 22. Edit. germ.
) *In Pirk Eliez.* C. 47. *) Ioſ. XXIV. 14.
†) *Ezech.* XXIII. 2. Reg. XXI. 15. et v. 8. ††) De idololat. Cap. I. §. 10.

locus *) qui huic veritati inprimis ſuffragatur. *Cum longa* inquit, *per Hebraeos poſterorum ſeries eſſet in Aegypto propagata, et ex iis conflata Iudaeorum natio, multa in dies ſobole gliſceret; factum eſt, vt cum prima illa, quam a Deo, chariſſimisque majoribus acceperant, pietatis ac religionis inſtitutio debilitata, paulatim obtuſaque hebeſceret et Aegyptiorum ſocietas et communio rerum, antea revelatarum, multitudini praevaleret, vt virtute patria oblivioni tradita, ſic Aegyptiorum mores ac ritus induerent, vt nihil inter vtriusque populi vitae genus diſcriminis eſſe videretur.* Pompa religionis Aegyptiacae, ceremoniarum vanitas, ſenſibus vulgi accommodata et voluptatum illecebris amica, facili opera gentem, cui mens profana, indoles proterva et nativa in idola et ſuperſtitionem proclivitas, relicto patrum Deo, ad ſtercoreos abripere Deos Aegyptiorum potuerunt.

§. 47.

Graviſſima haec eſſe dicitur poenarum ſequela, cum exſilio populi conjuncta, non a Deo ipſi inflicta, ſed ab eo ſibi ipſi accerſita, ſunt enim maximum in Hebraeos Dei beneficium, quod ſeorſim eos, ab idololatris vivere vellet, curaretque vt neque occaſione, nec fraude ad idololatriam adduci poſſent, ita graviſſimum fuiſſe ſupplicium cenſetur, quod Iudaei per varias gentes paganorum diſperſi, ad eorum ritus ſuſcipiendos pellici potuerint **). Verum, ſi levitatem gentis judaicae ejusque mores a ſcriptoribus ſacris memoriae proditos, rite perſcrutemur, nulla nobis ſupererit dubitandi ratio, diſperſionem Iudaeorum, non eſſe cauſam idololatriae, ſed hanc, diſperſionis poenam, et hujus, corruptionem gentis, quam merito, poenis licebat.

SECTIO

*) *Praepar. Evangel.* Lib. VII. Cap. 8.

**) *Clarius* in Comment. in Deutron. Cap. IV. pag. 498 ſq.

SECTIO. VII.

DE
VITVLO AVREO A IVDAEIS IN DESERTO CVLTO.

§. 48.

Eductis potenti Dei manu e domo ſervitutis, in deſertum Iſraelitis, peculiaribus hanc gentem inſtitutis et legibus, ab aliis terrae populis ſegregare voluit ſupremum Numen. Moſes dux et caput, vt has leges e manu Dei acciperet, in ſinais montis apicem aſcendit et in conſortio divini Numinis quadraginta dies exegit *). Populus, cum Moſes vltra exſpectationem, in monte moratus eſſet, morae impatiens, ad Aaronem convenit clamans: neſcimus, quid acciderit Moſi, qui nos ex Aegypto eduxit? In alium haec verba ſenſum detorquent Iudaei et ad id: vidit populus Moſem morem facere, addunt ſex horas, cum in altum aſcendit. Moſes, dixerat Iſraelitis: *in fine* quadraginta dierum, in principio ſex horarum, ſum rediturus **). Tempore hoc completo, cum non rediiſſet, adhuc alias morae cauſas et fabulas adſtruunt, quas, qui ſcire cupit, Talmudicos adeat doctores.

§. 49.

Iſraelitae Moſem periiſſe rati, vel, vt in Ionath. paraphraſi legitur, conſumtum in monte, in quo ignis a facie Dei fulgebat, duce ſuo deſtituti, de aliis ſibi Diis viſibilibus conſtituendis conſilia agitant et ab Aarone horum ſimulacrum, quod iis praeferretur, poſtulant. Primoribus id tribuitur a quibusdam ***), qui id conſenſu et voluntate populi fecerunt, cum, quo pacto ingens illa multitudo ad Aaronem ſimul accedere et cum illo colloqui potuerit, intelligi nequeat. Quidquid ſit, gliſcente in populo turba, vnanimi voce exclamante: fac nobis Deos, qui nos praecedant, inſaniae obtemperavit Aaron et inquit:

*) *Exod. XXXII.* **) Tractat. Talmud. de Sabbatho. Cap. IX. pag. 89. a.
***) *Buddeus in Hiſtor. Eccleſ. vet. Teſt. Period. II. Sect. I. §. XIX. pag. 486.*

inquit: tóllite inaures aureas, de vxorum et filiarum veſtrarum auribus et afferte ad me, nimirum vt ex iis confletur idolum. Non ſolum vxores et filias aureas habuiſſe inaures, ſed vtrique ſexui communes fuiſſe, notum ex ſcriptoribus *), qui mos a Syris et Phoenicibus ad Poenos, ab his ad Mauros translatus **) in Aegypto et toto Oriente viguit.

§. 50.

Cum inaures annulosque aureos ad Aaronem attuliſſent, hic auro liquefacto et in typum conjecto, formavit illud caelo, vel ſcalpro et fuſilem ex eo fecit vitulum. Quae verba, cum duplicem patiantur interpretationem, Bocharto non ſatis cohaerere, ordineque praepoſtero referri viſa ſunt, Ionathanis Paraphraſin: *et colligavit illud in marſupio*, reliquis praefert et multis, quam adſumſit ſententiam, argumentis corroborare annititur ***). Ad has objectiones et rationes viri ſummi, cujus in hiſce literis non exigua eſt autoritas, ex inſtituto reſpondit Clericus †), cui adſtipulatur Buddeus ††): quam ego criticorum litem dirimere nolo, id tantum acturus, vt vituli, in deſerto ab Aarone conflati formam, ideam cultusque rationem recte conſtituam.

§. 51.

Oſtenſum ſupra (§. 21.), gentes et vrbes in Aegypto, peculiaria Deorum ſymbola habuiſſe et ſub diverſis animalium figuris exhibita fuiſſe et culta. Iſraelitae tempore imolatus Aegyptiaci, ritibus et animalium cultui aſſueti veterem hanc pelliculam non exuerunt, ſed, quas in Aegypto imbiberant idolo-

*) Plin. Hiſt. Lib. II. Cap. 37.

**) Bochart. Hieroz. Part. I. Lib. II. Cap. XXXIV. pag. 334.

***) Lib. cit. pag. 335.

†) In Comment. in Exod. Cap. XXXII. p. 178 ſq.

††) Lib. cit. pag. 487. Seldenus de Diis ſyr. Synt. I. Cap. IV. pag. 138. inquit, non facile intelligas, quid ſtylo fecerit (Aaron) niſi notas Apidis, *aut ejusmodi* quid inſculpſerit. Rudem maſſam imprimis conflatam volunt Ebraeorum non nulli, inde vituli figura ſcalpelli, vel ſtyli opera, *donatam. etc.*

idololatriae faeces, in deſerto ſitiunt vitulumque fabricantes, abſente Moſe, Aegyptizarunt. Iuvencum illum, ad exemplar apidis memphitarum ſymboli confectum, plerique concedunt *). Rationem, cur id factum, apud omnes deſidero. Videtur Clerico id Aaronis arbitrio permiſſum, qui eam ob cauſam vitulinam formam caeteris praetulit, quod ab Aegyptiis ſanctiſſime coleretur **). Quod ſi verum eſſet, procul dubio aliam idolo figuram impreſſiſſet Aaron, ne de novo genti recens ex Aegypto eductae, anſam Aegyptiorum ſuperſtitionem renovandi, daret, praecipue cum Iſraelitis Aegypti oras relicturis, omnia a Deo ita inſtituta et procurata ſunt, vt Aegyptiorum Numina et ſacra, in deſpicientiam et odium apud omnes traherentur. Hinc aliam adhuc, non tam *μοσχολατρείας*, quam figurae idoli, rationem ſupereſſe, facile mihi perſuadeo.

§. 52.

Apis duorum in Aegypto erat imago Numinum, *Iſidis ſcilicet* et Oſiridis, quorum hunc pro patre, alteram pro matre agnoſcebat, vt ex ſacerdotum traditionibus conſtat. Iſis vacca appellatur, Oſiris ſub bove repraeſentatur, qui, ſi cum hoc vacca congreditur, apis procreatur, cujus avus *eſt ſerapis.* Vacca erat ſymbolum Bubaſis et Buſiridis, bos, ſive Mnevis, Heliopolis, quae civitates et gentes, Iſidem et Oſiridem, ſub horum animalium figuris venerabantur. Memphitae ex Iſidis et Oſiridis nomis concreti, ſub apidis ſimulacro vtrumque Numen colebant. Ex his praemiſſis modo conjicere poſſumus, quae fuerit ratio, cur Aaron vitulum, ad apidis imitationem, fabrefecerit et populo ſpectandum exhibuerit. Maxima ſine dubio gentis pars ex Memphitarum nomis vndique confluente plebe, conſtitit, quae ſpe forſan melioris fortunae lactata, vel miraculis a Moſe editis, permota, Iſraelitas, qui in hiſce nomis diu erant verſati, ſponte ſecuta eſt.

*) *Philo de Vit. Moſ.* p. 677. aliique citati a Bochart. Lib. cit. pag. 346. *et Spencero de legib.* ritual. Hebr. Lib. I. Cap. I. pag. 21.

**) *Lib. cit. pag.* 180.

§. 53.

Aaron, cui origo populi et Numina in Aegypto culta, non erant ignota, vt motus componeret et indomitae plebis, ad furorem vſque inſanientis, impetus ſedaret, non alios petenti Deos, quam patrios, ſub vſitato apidis ſimulacro proponere potuit, quia quaelibet in Aegypto gens, ſua Numina, ſub certis propriisque imaginibus colebat, nec ſub alienis adumbrari ſymbolis permittebat. Quod autem Aaron non perfectam apidis figuram, ſed juvencum, ad apidis exemplar formaverit, non ſine cauſa factum eſt; antiquiſſimis temporibus, omnibus Orientis gentibus perquam familiare fuiſſe ſcimus, colonias, quae e ſedibus ſuis emigrabant, cum pullis pro natura animalis ſymbolici, aequiparare. E. g. colonia ex Babyloniae finibus educta, Catulus leonis, ex Perſia, Catulus vrſi, ex Epheſi terris, juvencus cervi etc. vocantur. Hujus ſtili hierogl. gnarus Aaron, populum, ex Memphitarum locis egreſſum, pro apidis vitulo habuit et ſub illius figura gentis originem et religionem ſimul ob oculos poſuit.

§. 54.

Iſraelitae longo rerum morumque vſu Aegyptiis juncti, eadem infecti erant ſuperſtitionis lue. Ingenerata illis erga Idola Aegyptiorum affectio, eos ita adegit, vt cum applauſu fuſilem vitulum exciperent, et illius feſtum ceremoniis Memphitarum celebrarent, quod ritus in conflando vitulo adhibiti, tripudia, convivia, chori, vociferationes, decircinationes figurarum in vitulo, ab Aarone factae, ſcortatio, populi nuditas et quae id genus abominationes, apidis cultui ſimiles et affines, ſatis produnt *), vt omni fere humanitati et pudicitiae renuntiaſſe videantur. Nefandum id ſcelus a gente ſua amoliri volunt Iudaeorum Doctores, et imputant illis *μη βεβαιοις τας φυσεις*, qui inconſtantis fuiſſent animi **). Nec, qui ab Aarone Deos

 petie-

*) *Kircherus* in Oedip. Aegypt. Tom. I. p. 300. Hammond. not. in I. ad *Cor. X, 7.* Clericus loc. cit. pag. 181. Schuckfort de his dubitat. Harm. *Vol. III.* pag. *96* ſq.

**) *Philo* in Vit. Moſis. Lib. III. p. 677.

petierunt, fuere Iſraelitae, ſed quadraginta hominum millia, qui cum Iſraelitis ex Aegypto aſcenderunt et Aegyptii magi duo, Ianes et Iambres nomine *); promiſcua illa multitudo, quam ex Aegypto Moſes ſecum eduxerat, quosque fecerat, proſelytos **), olim apidis ritibus adſuetos. At vana haec Iudaeorum commenta, textus ipſe v. 13 et 14 refutat Moſesque judex et vindex, non ſolum exteros, ſed et Iſraelitas, magno numero ob communem reatum, trucidari juſſit.

§. 55.

Si quid eſt, quod Iſraelitas excuſare quodammodo poteſt, id eſſe credo, quod ab Aegyptiis incitati idololatriae crimen commiſerint, vt ex textu: *hi ſunt Dii tui o Iſrael, qui te ex Aegypto eduxerunt,* non obſcure ſequi videtur. Haec verba, ſiquid video, gens aegyptiaca, cum ſaltaret, luderet feſtumque apidis celebraret, Iſraelitis, vt omnem veri Numinis recordationem in eorum animis deleret, et ſine remora in partes ſuas traheret, ſucclamavit, perſuadendo, non aliorum Deorum ope et poteſtate, quam quae ſub conſpicuo vituli ſimulacro coleret, ex Aegypti tyrannide eſſe liberatos. Credas velim, hi ſunt Dii tui, o! Iſrael, qui te ex calamitatibus et domo ſervitutis eduxerunt etc. Vocabulum, אלהים, quod pluralis eſt numeri, hic in ſingulari ſumendum, plerique interpretes arbitrantur, Bocharto duce ***). Verum, ne a nativa vocis ſignificatione decedamus, res ipſa ſuadet. Non enim vnum ſub vitulino ſymbolo, ſed duo adorabant Numina, nempe Iſidem et Oſiridem (§. 52.) quae apis exprimebat. Et hos Deos populum ex Aegypto eduxiſſe, contendebant idololatrae.

§. 56.

Cum apidis feſtum celebrantes baccharentur, Aaron id videns ſolenne feſtum Iehovae in craſtinum indixit, proclamando:

*) *Tanchuma. Fol.* 46. C. Calmet. Dict. Bibl. pag. 951 ſq. Edit. germ.

**) *Sal. Iarchi in* Comment. in Exod. Cap. XXXII. pag. 732. Edit. *Breithauptii.*

***) *Lib. cit. pag.* 347.

mando: *cras erit feſtum Domini.* Haec Aaronis verba, ſi cum rei Hiſtoria, de qua agitur, recte conferantur, dubitari nequit, non ad apidis cultores, ſed ad eos fuiſſe directa, qui Memphitarum ritibus non vacarunt. Fuiſſe adhuc inter Iſraelitas quasdam tribus, quae iſta ſe ſuperſtitione apidis, non inquinarunt, admodum eſt probabile et ex ipſo contextu colligere licet. Quos, vt compeſceret Aaron, ne in paria ruerent cum Memphitis piacula, illis promittit, in craſtinum Iehovae, veri Iſraelitarum Numinis feſtum celebrandum. Indulgeant hodie ſuo fortaſſe dixit, genio, qui apidi ſupplicant, moram tantum modo habeatis, vosque intra veſtros continete limites, cras ſacra vobis erit Iehovae feſtivitas etc. Convocati ab Aarone Iſraelitae cum ſummo mane conveniſſent, altare coram vitulo pridie culto, exſtruxit et hoſtias et holocauſta obtulerunt.

§. 57.

Vitulum ipſum eſſe Deum nullatenus exiſtimarunt Iſraelitae, ſed veri illius Dei ſymbolum eſſe crediderunt, qui brachio extenſo eos a ſervitute Aegyptiaca liberaverat. Vox Aaronis et populi: *hic eſt Deus tuus, qui te ex Aegypto eduxit.* Nehem. 9. v. 18. id ſatis clare loquitur, quod de vitulo in deſerto facto intelligi nequit. Locus iſte Nehem. perperam cum Exodi loco ſupra notato, cui e Diametro oppoſitus eſt, confunditur. Non hic apidis, ſed Iehovae feſtum celebratur, quem ſub vituli ſimulacro colebant cujusque promiſſionibus et potentiae ſuam debere liberationem, profitentur, vociferantes: *hic eſt Deus tuus* etc. Verum in eo tamen peccarunt, quod ſanctum illum et benedictum patrum ſuorum Deum, ſub Aegyptiorum ſymbolo adoraverint eumque iisdem ritibus, quibus Aegyptus apin, colerent, quo ſe graviſſimo idololatriae ſcelere obſtrinxerunt. Ex Iudaeorum doctoribus id cordatiores non negant, nullamque Iſraelitis obtigiſſe poenam agnoſcunt, in qua non fuerit vncia transgreſſionis vituli. Quod autem Moſes illis a caedibus pepercerit, ideo factum, quia non alienos Deos, ſed acerum ſub vitulo, coluerint.

§. 58.

Aaron, qui conflaſſe vitulum dicitur, non vna eademque expertus eſt eruditorum judicia. Cum primis Iudaei eum excuſare et defendere adgreſſi ſunt. Obtendunt ſacerdotem metu mortis correptum, et Huri, qui, cum ſe populo Deos vitulinos poſcenti, oppoſuiſſet, interfectus eſt, Exemplo perterrefactum, in effervescentis populi conſilia conſenſiſſe *). Scriptura Huri non meminit, cujus hiſtoria forſan ad peculiares Iudaeorum traditiones pertinet. Multi ex grege Patrum, cum Iudaeis conſonant et Aaronem vel excuſant, vel defendunt, quorum rationes, vel ſententias in illius patrocinium allatas diſcutere hujus non eſt loci, nec inſtituti. Timuiſſe Aaronem populi malitiam, ex verbis, quibus Moſi, eum acerrime objurgitanti, reſpondebat: *noſti Domine, quam malus ſit ille populus*, abunde conſtat. Homo fuit, cui deerat Moſis autoritas, poteſtas, et magnanimitas, gentis indolem probe noſcens, vetita *quidem* petenti reſiſtere, ob vitae periculum, non eſt conatus. *Interim* non omni vacat culpa, cum graviſſimum peccatum ſuper populum induxiſſet, quare Deus vehementer in eum iratus fuit eumque revera perdidiſſet, niſi Moſes pro eo interceſſiſſet.

§. 59.

Moſes divino incenſus zelo, vitulum abominationis objectum, molendo contrivit, in pulverem redegit ſparſitque in aquam, quam populo potandam dedit. Qui id factum, aut fieri potuerit? diſputatur inter eruditos **), quorum conjecturas meum non eſt, ad examen vocare. Volunt Moſen artis chemicae, quam ab Aegyptiis, apud quos jam tum in vſu fuit, didicerit, peritum fuiſſe, cujus ope aurum igne in calcem redactum, deinde in pulverem vel minutiſſimas particulas contritum, aquae admiſtum fuit ***), ſed artem chemicam, tempore

*) In Vajikra Rabba apud Bochartum. Lib. cit. pag. 348.

**) *Bochart. loc. cit.* pag. 350 ſq.

***) *Olaus Borrichius* in ſapientia Hermetis Cont. Conring. pag. 226. *Clericus Lib. cit.* pag. 183. Buddeus in Hiſt. V. T. Per. II. Sect. I. *pag.* 490. *lege etiam* ſi placet, Dickinſoni phyſic. vet. et veram. Cap. XX. *§. IV.* pag. 310 ſq.

pore Moſis, in Aegypto fuiſſe notam, in veterum ſcriptis, quae avide pervolvi, nullibi invenio et quae a chemiae cultoribus hac in re ſupponuntur, ſuffragio deſtituuntur. Dorimaſticam metallicam Aegyptios calluiſſe notum eſt ex Diodoro et Agatharchide Cnidio, apud Photium. De verae chemiae ſtudio et operationibus, ſilent omnes probati veterum autores. An igitur Moſes hujus artis, quae novum eſt inventum, fuerit gnarus, ſub judice lis eſt et quo modo, vel ſubſidio aurum tractaverit et in cineres redegerit, me ignorare fateor. De vitulino cultu, quem Ieroboam infauſto omine reſuſcitavit, et de hircis, ſuper quos ſortes jacere ſolebat ſummus ſacerdos, vter ceſſurus eſſet Iehovae, vter Azazeli, non eſt quod dicam. Cui volupe eſt, eruditorum ſententias, hac de re diſſonas, ſcire, legat Bochartum, Seldenum, Spencerum, Clericum Ant. van Dale, Buddeum etc. quorum vnus alterius ſcrinia compilavit.

SECTIO VIII.

DE ONOLATRIA IVDAEIS OBIECTA.

§. 60.

Tralatitium eſt, Iudaeos, praeter alia, quibus hanc gentem olim proſciderunt, pagani obtrectatores, convicia, onolatriae eſſe incuſatos. Architatus hujus commenti, Apion grammaticus dicitur, qui in libro adverſus Iudaeos, in vulgus ſpargere non erubuit, in templi Hieroſol. ſacrario aſini caput eos collocaſſe et loco Numinis coluiſſe, idque propalatum, cum templo expoliato, Antiochus Epiphanes caput illud in ſanctuarii adytis, ex auro compoſitum multisque pecuniis dignum inveniſſet *). Paria tradidiſſe ſcimus ex Svida **) Damocritum hiſtoricum ***), et Zabidum, qui cum ex idumeae vrbe Dora ad templum veniſſet, aureum ibi Cantherii caput detraxiſſe narratur,

*) *Ioſeph. Lib. II.* Cont. Apionem. **) In voce Iudas.
***) *Huet.* demonſtrat. Evangel. Propoſ. IV. pag. 112.

ratur, vt mittam alios, qui eadem de Iudaeis commenti ſunt et in multitudine errantium, quaerebant errorum ſuorum patrocinium. Ex his omnibus apparet, quam longe lateque haec traditio tum temporis, inter gentes fuerit propagata, vt mirum non ſit, multos, qui veram rei cauſam et originem non penetrarunt, ita zelo adactos, vt omnia inter barbarorum mendacia et convicia retulerint.

§. 61.

Primus omnium Ioſephus gentis ſuae cauſam in ſe ſuſcepit et qua potuit dexteritate, eam ab ignominiae labe purgare conatus eſt. Vtitur inprimis argumento ad refellendum Apionem, quod a ſilentio ſcriptorum deductum eſt, et opponit Cavillo Polybium, Strabonem, Damaſcenum, aliosque, qui templi expilati hiſtoriam literis conſignarunt, et ne γρυ quidem de aureo aſini capite in templi adytis reperto, memoriae prodiderunt, nec eos, qui intimos templi receſſus perluſtrarunt, quid tale inveniſſe, oſtendit. Huic argumento, quod vrget Ioſephus, non parum patrocinari videtur, quod refert Tacitus *), Pompejum cepta Vrbe hieroſol. templum ſpeculandis judaicae religionis arcanis adiiſſe, nullum illic ſimulacrum, ſed vacuam ſedem et inania reperiſſe arcana, quae vtique rei hujus fidem ſuſpectam reddere videntur.

§. 62.

Ex recentioribus quoque non defuere, qui pro virili Iudaeos ab Onolatriae opprobrio vindicare aggreſſi ſunt, nec perſuadere ſibi poſſunt, gentem ſanctam eo dementiae veniſſe, vt tam abſurdo animalis cultu, quam prae reliquis terrae populis habuit cognitionem et gloriam, proſtituerit. Quis inter Iudaeos tam ſtultus, vt aſini caput colat? quis ſtultior, vt hoc coli credat? reſpondet Minutius Caelicio, qui ſe audiviſſe dixerat, aſini caput Iudaeis eſſe rem divinam **). Non ſecus reſpon-

*) *Hiſtor. Lib.* V.

**) *Bochart.* Hierozoic. Part. I. Lib. II. Cap. XVIII. pag. 221 ſqq. et *Chriſtian Kortholt* pagan. obtrectat. Lib. II. Cap. I. pag. 256 ſq.

reſpondebunt; qui ſciunt, Iudaeos tam ſeveris adverſus omne idololatriae genus legibus adſtrictos, a religioſo aſini cultu longe fuiſſe alienos. Paganos ita de Iudaeis ſenſiſſe mirum non eſt, qui beſtiarum cultui addicti, cum de aureo aſini capite in templo hieroſol. audiviſſent, id divinae venerationis cauſa, ibidem conſervatum, ſolo idolomaniae praejudicio ſeducti, facile ſunt ſuſpicati.

§. 63.

Haec et alia, quae huc ſpectant, quilibet aequus religionis judaicae arbiter largietur, ſi ſecum perpenderit, quantae Iudaeis, gentilium ſacra fuerint abominationi. Nihilominus tamen rei, de qua agitur, aliquid veri ſubeſſe ac Iudaeos aureum aſini caput in templi ſanctuario habuiſſe, non plane inficias ibimus, ſi orientalium mores et rei originem recte conſideraverimus. Omnibus enim erat in more poſitum, hieroglyphica et ſymbola, in ſuae originis et poſterorum memoriam, in lucis et templorum penetralibus ſancte cuſtodire et in iis conditorum geſta patrumque beneficia recolere, vti ſupra (§. 18.) notatum. Quis Iudaeos, moribus ſtudioque orientis hierogl. imbutos increpabit, ſi ſuae quoque gentis ſymbola in templi adytis, non religioſi cultus cauſa, ſed in majorum recordationem, tanquam monumenta hiſtorica collocarint? ſine legis transgreſſione id fieri potuit, quae ſculptilia adorare vetuit, ſymbola vero hiſtorica penitus abolere non praecepit *) vti ex Cherubinis, ex diverſis animalium figuris, pro re nata compoſitis, colligere licet, quae nemo a Iudaeis religioſe culta dixerit. Aſini caput ejusmodi erat ſymbolum, quod multa, eaque non exigua gentis judaicae fata adumbrabat, vt inter praecipua illius monumenta hieroglyphica merito recenſendum.

§. 64.

Ioſephum quod attinet, non adeo ipſi in hoc partium ſtudio, *tuta fides* eſt, vt ſine reformidine oppoſiti, verbis illius ſtare

*) *Calmet Diction.* bibl. Part. I. part. 605.

ſtare poſſimus. Quis neſcit, virum hunc plus Graecorum ſcientiis, quam Iudaeorum diſciplina arcani inſtructum, obliterata tum temporis vetuſtate, notitia hierogl. vel finem et indolem capitis aſinini ſymbolici, plane ignoraſſe, vel, ſi quid cognoverit, ſtudio ſuppreſſiſſe. Non id omni carere probatione, ex eo intelligi poteſt, quod in deſcribendis aſinis, aequivocis loquendi formulis vtatur. *Sunt*, inquit contra Apionem, *apud nos aſini, quod apud alios ſapientes viros, opera ſibimet impoſita ſuſtinentes.* Quae, quam ambigua ſint, non obeſae naris viris ſtatim ſubolet, quos latere nequit, hominem vafrum inſervire tempori et ad vulgi captum ſe accommodare, aliter ſentire, quam loqui et ita aſinos definire, vt ſenſu phyſico, ſeu morali, pro lectoris ingenio, exponi poſſet. Satis eſſe forſan putavit, ſi Iudaeos ab imaginum cultu, inter Aegyptios invecto purgaret et ſuſpectionem idololatriae, cui caput aſini anſam praebuerat, nullo habito reconditae ſignificationis reſpectu hujus ſymboli, a ſuis amoliretur. Tanta igitur Ioſephi, qui, vt famae gentis ſuae conſulat, veritatem diſſimulat, vel tacite praeterit, vel oblique exprimit, autoritas non eſt, vt, quae profani ſcriptores de aureo aſini capite in templo reperto, tradiderunt, meram ſapere fabulam credamus.

§. 65.

Ex ſilentio ſcriptorum id quoque non ſequitur, quod Ioſephus et qui cum eo ſunt, inde ſequi volunt. Ipſe exemplo eſſe poteſt, quam varia, notatu certe digna, in antiquit. ſuis et Hiſtoria Iudaeorum omiſerit, quae apud alios reperiuntur. Vnus hiſtoricus non tollit fidem alterius, qui res, quas deſcribit, exploratas habuiſſe cenſetur. Suetonius, Dio Caſſius et alii, Caeſarum Roman. Hiſtoriam literis mandarunt, nullius tamen ex iis fides redditur ſuſpecta, quod aliquis eorum res ab iis geſtas et a reliquis omiſſas recenſuerit. Polybius, Strabo etc. vt ſcriptores cordati et graves, Antiochi Epiphanis Hiſtoriam concinnarunt et multa tamen ſcimus, in iis deſiderari, quae d hominis hujus monſtri vitam et facta pertinent. Non id curiae aut inſcitiae imputandum, ſed hi autores tum ratione

ſui,

ſui, tum lectorum habita, ſe obſtrictos ſenſerunt, vt has, vel illas res, invidia, odio, metu ſeu periculo plenas, ſilentio involuerent, vel earum, quas referunt, partes et circumſtantias aliquot praeterirent.

§. 66.

Suaſit id vbique prudentia ſcriptoribus, qui, ſi ſine periculo omnia dicere non audebant, ſatius ea omittere arbitrabantur. Tacitus ingenue fatetur, ſe non ignorare, a pleriſque ſcriptoribus multa, quae vel ob copiam ipſis nimia, vel ob caſus lugubres maeſta fuerunt, omiſſa, ne lectores pari odio adficerent *). Rara temporum felicitate, vbi ſentire quae velis, et quae ſentias, dicere licet. Veritas pluribus modis infracta, libidine aſſentandi, aut rurſus odio aduerſus Dominantes, ita neutris cura poſteritatis, inter infenſos, vel obnoxios: obtrectatio, vel livor, pronis auribus accipiuntur: Quippe adolationi faedum crimen, malignitati falſa ſpecies libertatis ineſt **). De Vellejo Paterculo in hiſtoria Tiberii, vbi placendi ſtudio veritatis immemor; de Curtio, qui in actis Alexandri Magni poetarum et Rhetorum licentiam magis, quam fidem hiſtoricam imitatus eſt, nihil addam. Satis iſta comprobare exempla mihi videntur, argumentum a ſilentio ſcriptorum deductum, in re non omni prorſus fundamento deſtituta, perexigui eſſe momenti.

§. 67.

Maxime ſententiae, quam in me probandam ſumſi, obſtare videtur, Antiochum Θεον, Pompejum, Titum, victores, qui ſacrarium templi ſpectatum ingreſſi ſunt, ne volam, vel veſtigium de aſini capite inveniſſe. Verum, nec id telum, quod Ioſephus in Apionem retorquet, nos ferit. Quis enim credat, Iudaeos tam ſtupidos fuiſſe, vt ingruente magis magisque urbis et templi excidio, et de partis tuendis deſperantes, aureum hocce monumentum, non aliunde per cryptoporticus, in veterum *templis* frequentes, translocaſſent, aut in lucifugo quodam loco

*) *Annal.* Lib. VI. Cap. VII.

**) Hiſtoricor. Lib. I. Cap. I. [illegible]

loco abſcondiſſent, ne in expugnatorum manus incideret? Ratio ſtatus, anguſtiae temporum et exulceratae gentis circumſtantiae, exigebant, pretioſa, quae in ſanctuario erant ſymbola, quo fieri poterat modo, ſurripere et in tuto locare, quapropter nil niſi vacuam ſedem et inania arcana offenderunt. Quis inde colligi poſſe putet, nunquam aſini caput in intimo templi receſſu latuiſſe? Profecto, ſatis diu in eo conſervari potuit, antequam templum profanatum fuit, nec ratio vlla ſuppetit, cur id in dubium vocetur.

SECTIO IX.

DE
ASINO IVDAEORVM SYMBOLO.

§. 68.

Praeſentis negotii cardo verſatur in eo, vt idoneis argumentis evincamus, aſinum Iudaeorum eſſe hieroglyphicum, quod inprimis ex non nullis ſcripturae ſacrae locis, manifeſtum dabimus. Pleraſque Iudaeorum tribus, ſub animalium figuris exhiberi, docet teſtamentum Iacobi Geneſ. 49. vbi v. 14. Iſſachar aſinus vocatur robuſtus, arabice athana, quod in propoſito conſtanter perſeverare ſignificat. Haec ſua, quaelibet tribus ſymbola retinuit, donec mutato poſtea ſtatu, aſinus non vnius, ſed totius fere gentis, praecipue a tempore Moſis, Hieroglyphicum factum, a quo gens judaica in ſcriptura ſacra potiſſimum ſub aſini ſymbolo effingitur. Saul quaeſitum ivit amiſſas patris ſui aſinas. 1 Samuel. IX, vel quae a patre Kiſone defecerant, et quarum Dominium, auſpice Samuele obtinuit. Civitates plurimas Iudaeorum, etiam ſub aſini imagine deſcribi affirmat Canticum Deborae. Iud. V, 10. vbi potentiſſimos in Iſraele ita alloquitur. *O! qui aſinas albas equitatis et judiciis praeſidetis.* Iair triginta habebat filios, *qui triginta aſinas equitabant, quia triginta* civitatibus praeerant. Iud. X, 4. Abdon *quadraginta filios* et triginta nepotes habebat, totidem aſinis *inſidentes, quot* vrbes gubernabant. Iud. XII, 14.

§. 69.

§. 69.

Inſidere populorum ſymbolis, ſtilo priſci orbis idem eſt, ac dominari, qua de re praecipui inter Iudaeos, ſeu principes aſinis vehebantur in ſignum dominii, quod in ſubditos, ſeu aſinos ſuos exercebant. Ipſe ſervator, Ieroſolymam ingreſſurus, eodem vti vectore non dedignatus eſt et aſinae ſubjugalis pullo inſedit, ad ſignificandum, ſibi vt Meſſiae, dominium in Iudaeos, maxime eos competere, qui ex illis Romanorum jugo preſſis, in confiniis Betphage Bethaniae collecti, ipſi adhaerebant. Pullus aſinae ſubjugalis *) gens recens converſa et libera, nullius, quam Chriſti Dominio erat ſubjectus, ideo obſervatum, neminem illi unquam inſediſſe, cui ſententiae Hieronymus aliique Patres ſuffragantur. Schilo, ſeu Meſſias nobiliſſimae hunc pullum aſinae, alligabit viti **), quod de felcitate in regno Chriſti eſt intelligendum.

§. 70.

De hoc Meſſiae aſino, Iudaeorum Doctores tradunt, quod idem ſit, quem inſtravit Abraham, cum ligare vellet Iſaacum; qui inter crepuſculum, veſpertinum, quod praecedit ſabbathum ***) creatus et quem Moſes equitavit. Non multum abludit ab eo, quod legitur in Diodoro Siculo †), Antiochum Epiphanem, ſubactis Iudaeis, ſtatuam lapideam figuram humanam promiſſa barba referentem, aſino inſedentem librumque manibus tenentem, in templi adytis inveniſſe, quam Moſis imaginem eſſe conjecerit. Recte judicaſſe Epiphanem non nego, ſi traditio vera. Quilibet enim, cui cernendi poteſtas, cernit, Moſem tam Ducem, quam legislatorem judaicae gentis,

*) Onkelos aſinum et pullum exponit Iſraelem et Ethnicos vid. Huet. demonſt. Evangel. propoſ. IX. pag. 425. vid. etiam (§. 53.) notata.

**) Heidegger Hiſt. Patriarch. Exercit. 23. pag. 500 ſq.

***) Salom. Jarchi. in Exod. Cap. IV. Eiſenmeng. Judaiſm. detect. *Part. II. Cap. XIII.* p. 697 ſq. Bochart. Hieroz. Part. I. Lib. II. *Cap. XVII.* p. 213 ſq.

†) *In Excerpt.* Lib. XXXIV. pag. 1171. et Chriſt. Kortholt. Pagan. *Obſtruct.* pag. 265.

tis, in hoc ſimulacro propoſitum. A multis, ſcio, hoc Moſis hieroglyphicum, pro mero paganorum commento haberi; magnopere autem dubito, an rerum judaicarum plane ignarus, tam accurate Moſis imaginem, merita illius et facta exprimentem, imitari potuerit. Non ſtatim explodenda, quae nondum ſatis ſunt ſaeculo noſtro perſpecta.

§. 71.

Inter Gnoſticos quidam ſtatuiſſe pariter feruntur, Sabaoth, Moſis Numen ſeu ſymbolum ονε μοϱφην εχειν aſini figuram habere, teſte Epiphanio. Ophitae, quos alibi cabaliſtas eſſe probavimus, Iudaeorum Rectorem oniel vocant, quod vocabulum ex און et על compoſitum, aſinorum Dominatorem denotat. Thartan aeque figuram aſini retuliſſe, ajunt Rabbinorum aliqui *), quod nomen, ſi divinare fas eſt, a Thara et Haran derivatum, ad primam gentis judaicae originem reſpicere videtur. Omitto brevitatis cauſa, quae Rabbinorum ſchola de aſinorum pietate et Religione; item de confabulatione *Abimelechi* cum Abrahami aſinis **), refert, quae omnia nos dubitare non ſinunt, ſub aſino gentem judaicam effigiari ſenſuque hierogl. omnia eſſe exponenda.

§. 72.

Ex his praemiſſis commode intelligere licet, quid famoſa ſibi velit pictura, Romae quondam in Chriſtianos propoſita, cum inſcriptione: *onochoëtes*, quae figura erat togata, auribus aſininis, pede altero vngulato et librum geſtans, cujus autorem Iudaeum apoſtatam fuiſſe, teſtantur Eccleſiae ſcriptores ***). Cavillus iſte probe novit, ſervatorem Chriſtianorum caput, ex Iudaeis ortum et gentem, ab initio ad Regnum illius vocatam, ονοκοιτης, ſeu aſininae eſſe proſapiae, vti hanc vocem Rigaltius optime interpretatur †). Natam hanc imaginem, ex Moſis ſimula-

*) *Selden. de diis ſyr.* Syntag. II. Cap. IX. pag. 328. Calmet. dict. bibl. *Part. III.* pag. 793.

**) *Eiſenmeng.* Iudaiſm. detect. Part. I. Cap. VIII. pag. 420 ſq.

***) *Tertul.* ad nat. Lib. I. Cap. XIV.

†) *Kortholt.* pagan. obtrect. Lib. II. Cap. I. pag. 257.

ſimulacro ſupra notato, affinitas, quae inter vtrumque hieroglyphicum intercedit, ad oculum demonſtrat, nec quid aliud, quam originem et genus Chriſtianorum indicat. Si quis haec et alia, quae in veteri Teſtamento et aſinis occurrunt, memorabilia, juſte exploraverit, non renuet, aſinum Iudaeorum eſſe ſymbolum.

SECTIO X.

DE ORIGINE HVIVS SYMBOLI.

§. 73.

De hujus Traditionis cauſa et ſymboli genuina origine, multae extant eruditorum conjecturae, quae, ſi probe expendantur, plurimam partem, e longinquo ſunt petitae. Seldenus *) ex aſini primogeniti redimendi jure, paganis perperam intellecto, manaſſe omnia hariolatur, cum ante tamen latam hanc legem, aſinus ſingulare modo Iudaeorum Hieroglyphicum fuerit, quod ſimul legis hujus eſt fundamentum. Tanaquil. Faber ab Onia, templi in nomo heliopolitano Aegypti conditore, cujus nomen, ſi vocis Etymologiam ſpectemus, aſinos, aſinarium, aut quid ſimile, ſignificat, Alexandrinos et Graecos, genus hominum σκωπτικον, rationem traditionis derivaſſe judicat, qui, cum in templo ab Onia exſtructo eadem, quae in Hieroſolymitano, viderent ſacra, facile ſibi perſuadere potuerunt, aſellum quoque a Iudaeis Iudaeam tenentibus, religioſa veneratione coli, quam ſententiam valde approbat Calmetius **). Rivetus aſinini cultus rumorem, ex veneratione capitis bubuli in deſerto, ortum ſuſpicatur ***), cui ſubſcribit Heinſius in libro de laude aſini. Bochartus pro more, ex alluſione et comparatione verborum, a profanis traditionem rei hauſtam eſſe conten-

*) *De jure nat. et gent.* juxta diſcip. Ebr. Lib. II. Cap. I. pag. 132.

**) *In Diction.* bibl. Part. II. pag. 147. Edit. germ.

***) *In Hoſeam.* VIII. 5. 6.

contenderit *). Nam cum [illegible], ut habetur in aegy- [illegible] pag. [illegible] Kircheri [illegible]. vi- [illegible] Quam [illegible] originem symbolorum, non in hujus, vel illius [illegible], sed in ipsa gentium, incunabulis [illegible]

§. 74.

Tacitus aliam rei hujus caussam profert: Iudaeos nimirum in deserto, aquae inopia fatigatos, haud procul exitio totis campis procubuisse, cum grex asinorum agrestium e pastu in rupem nemore opacam concessit, quem secutus Moses, conjectura herbidi soli, largas aquarum venas aperit. In beneficii hujus recordationem, effigiem hujus animalis, quo duce et monstrante errorem ſitimque depulerant, penetrali ſacravere **). Cum Tacito conſentit Plutarchus ***), qui ideo Iudaeos aſinum honore proſequi dicit, quod illis olim aquae fontem monſtraverit, quo profanos hoſce ſcriptores ad hiſtoriam Anae collineare, veroſimile videtur Fullero †). Anam enim Sibonis patris ſui aſinos paviſſe et aquas calidas in deſerto inveniſſe, docet ſcriptura Geneſ. XXXVI. v. 24. quodque ad paganorum aures facile pervenire potuit. An id vero cauſam traditionis et cultus eſſe exiſtimaverint, dubium eſt et incertum.

§. 75.

Qui hanc Anae hiſtoriam pro ea, qua par eſt, ἀκριβείᾳ perluſtraverit et nativum ex poteſtate vocum, eruere ſenſum ſtuduerit, ſua ſponte animaduertet, nihil in ea de aſinis et aquis proprie dictis agi, ſed ſub horum ſymbolis latere gentes, quas pavit, ſeu quibus imperavit Ana. Erant illae Horraei et aquae calidae

*) In Hierozoic. Part. I. Lib. II. Cap. XVIII. pag. 226.
**) *Hiſtor.* Lib. V. Cap. III et IV.
***) *Sympoſ.* Lib. IV. Quaeſt. V. p. 670.
†) *Miſcell.* Lib. III. Cap. VIII. Voſſius de orig. et prog. idol. *Lib. III. Cap. 76.*

calidae ימים, paronomaſia duce, Emaei Horraeis vicini, quos invenit et adortus eſt, ſibique ſubegit Ana *) Maria in monimentis veterum ſunt populi, quod in praeſentiarum extra omnem dubitationis aleam eſt poſitum, cum nulli circa ea deſerti loca, exiſtunt lacus, niſi aſphaltites, qui diu poſt ortus. Sed vt de verbis Taciti non nihil adhuc memorem, deſcribi illis, non nulli cenſent **) deſertum Elim, in quo ſiti confecti Iſraelitae, tandem in umbra Palmeti tot fontes, quot in populo tribus, reperti ſunt. Exod. XV. Ioſephus pro Elim legit Ilin ***) quaſi ab aſinis nomen accepiſſet, cum Ilin Syris ſunt aſinorum pulli. Inde ortam, quam Tacitus et Plutarchus habent, fabulam, aſinos in deſerto Iudaeis aquarum fontes indicaſſe, quo quid vero propius, ſibi nondum occurriſſe, fatetur Bochartus.

§. 76.

Secundum myſticam, quam amant Rabbini interpretationis methodum, palmas et fontes in deſerto detectos, a ſex diebus creationis ibidem exſtitiſſe †), vel ſi mentem eorum recte capiam, ab ipſis gentis ſuae primordiis, in rerum natura fuiſſe ſomniant, quod credat Iudaeus Apella. Per palmas et fontes intelligunt oppida et vrbes, et per aſinos, populos deſerti Ilin Tomos incolentes, qui Iudaeis penuria laborantibus hoſce fontes commonſtrarunt, vnde neceſſaria vitae media haurire et quorum ope ſuis conſulere rebus potuerunt. Cum hi populi dicuntur aſinorum pulli, ex ſignificatione nominis et loci, confeſtim colligere oportet, progenitores eorum, aſinum pro ſymbolo habuiſſe poſteriſque ſuis, in originis monimentum, reliquiſſe. Haec eam ob cauſam ſedulo ſunt monenda, vt ſciamus, Iudaeos pro orientis genio de aſinorum ſymbolis idem ſentire.

§. 77.

*) Cleric. Comment. in Geneſ. Cap. XXXVI. pag. 270.
**) Bochart. Hieroz. Part. I. Lib. II. Cap. XVIII. pag. 227.
***) *Antiquit.* Lib. III. Cap. I.
†) *In Gur Arjch* Fol. 86. Col. 4. med.

§. 77.

Nomina, quibus hos aſinos inſigniunt Hebraei, non parum lucis materiae ſubſtratae afferunt. חמור aſinorum nomen eſt, qui in oriente rubere perhibentur. Africani id genus vocant Zechorah, quod idem eſt cum voce צחורות Zehoroth, quae aſinos colore rubro et albo mixtos, ſignificat, quales equitabant principes, judiciis in Iſraele praeſidentes *). Alii multifaria illos colorum mixtura fuiſſe afferunt **), quod apprime Rabbinorum traditioni conſentaneum, qui aſinum, quo ſeſſurus eſt Meſſias, mille colorum, vel diverſicolorem eſſe docent ***). Varii colores in animalibus hierogl. ſunt notae, vel characteres gentis, quae ex plus vna natione conflata et genere et moribus eſt diſtincta. Ejusmodi populo Meſſiam ſuo tempore imperaturum adſirmant Iudaei et aſinum, gentis illius ſymbolum, ideo tot tamque diverſis coloribus exornant.

§. 78.

Quod ſupereſt excutiendum, id Iudaeorum ſymbolum, primam in Arabiae Aethiopiaeque confiniis, ſedem habuiſſe et ab hiſce gentibus ad Iudaeos perveniſſe, mihi videtur certo certius. Ex rationibus, quas habeo, praecipuas in medium proferam. Heberi Poſteri ipſiusque Abrahami tritavi, inter Arabes degerunt, quorum pars ipſa ex Iectane genus traxit, quod interioris Arabiae loca poſſedit. Iſtae gentes ex tribu Iectan, dicuntur Amanitae, aut Homeritae, qui a Marciano accenſentur Aethiopibus, qui illis proximi, rubro duntaxat mari interjecto. Deinde *κατανιται* Arabiae felicis populi, a Cahtane, vel Iectane, cujus nomen in vrbe territorii Mechenſis *Baiſath-jektan* hodie ſupereſt incorruptum, genus ducunt *) quod longe lateque in regiones conterminas diffuſum, aſinum, terrae illius ſymbolum, ab incolis eſt mutuatum.

§. 79.

*) *Calmet. Diction.* bibl. Part. II. pag. 148.

**) *Ludolph. Hiſtor.* Aethiop. pag. 150.

***) *Bochart. Hierozoic.* Part. I. Lib. II. Cap. III. pag. 185.

†) *Bochart.* geogr. ſacr. Lib. II. Cap. XV. pag. 98.

§. 79.

Heber in alcorano vocatur Hud, et aliis Hond, qui poſt Noe ante Abraham, ad Aadaeos, habitantes in Alahkaph ſub rege Algiagian, a Deo miſſus, vt eos ab idolis ad verum Deum vocaret *). Aadaei antiquiſſimi erant Arabiae populi ab Aad Filio Amaleki, Hami nepote, oriundi, qui Aad Aditarum fuit genitor, et Provinciae Adhamoſch, in Arabia rex. Non abſimile his eſt, quod de Salch filio Obeid, narratur, qui poſt Hod ad Temudaeos miſſus, quorum prima habitatio fuit in terra Cus ſeu Aethiopiae, ex regione Aalts **). Quae traditiones, id firmare videntur, Iudaeorum progenitores Arabiae loca inſediſſe et propterea ſub aſino adumbrari. Mahomedis aſinus, nomine Borak, quo ad caelum, vel ad ſummum inter Iſmaelitas vectus eſt gloriae faſtigium opinionem ſupra allatam non parum probat.

SECTIO XI.

PROBATVR IDEM VLTERIVS EX AEGYPTIORVM RELATIONIBVS.

§. 80.

Argumento, de origine ſymboli ex Arabia deducta, non nihil roboris accedit, ex fabulari Aegyptiorum Hiſtoria de Typhone, quam alibi ſatis prolixe deſcripſi et expoſui. Infenſiſſimus ille totius Aegypti hoſtis, tandem ab Haro ejusque confaederatis Thebaidis regibus, debellatus victusque Avarim, quae Sethroitici tractus Metropolis, Typhonia a Typhone cognominata et ad orientem fluvii bubaſtici ſita, quam Peluſium fuiſſe eredo, ex pacto tradit, maximaque inferioris Aegypti parte abrepta, fugam apparat et *aſino* ex praelio vectus elapſusque filios genuit Hieroſolymum et Iudaeum ***). Haec

*) Vid. Sura VII. Aluraph. et qui hanc hiſtoriam recenſet, Iſmael. *Ebn. Aly.*

**) *Apud Marrae* p. 283. b. ex Iſmaele Ebn. Aly.

***) *Plutarch.* de Iſid. et Oſirid. pag. 363.

ex ore ſacerdotum relata, vt inſulſam quidam eruditi explodunt fabulam, exiſtimantes res Iudaeorum et Typhonis temere confundi, imo ipſum, qui hoc retulit, Plutarchum offendiſſe *), quod non invitus concedo, ſi vulgi oculis ea omnia intueamur. Longe aliam res induet ſpeciem, ſi hieroglyphice pleraque perpendantur et inter ſe concilientur.

§. 81.

Sacerdotales Aegyptiorum fabulas, quas mendax Graecorum calamus non corrupit, et fragmenta ex Manethonis Hiſtoria, quae apud Ioſephum **) et alios exſtant, luculenter indicant, Typhonem eſſe ſymbolum regum Paſtorum, quos vocabant Hicſos. Hi reges, vltra ducentos annos in inferioris Aegypti Nomis et plagis tenuere Dominium, multaque cum iis bella et praelia geſſerunt, fruſtra tamen Thebanos armis frangere ſibique ſubjicere ſunt conati. Ob cruenta iſta bella, Aegyptii Typhonem cenſent omne ſiccum, igneum et quidquid exſiccandi vim habet et humori eſt adverſum. Inſidiae *illius* et tyrannis, vim ſignificant ſiccitatis praevalentis atque humorem conſumentis ***), per quod calamitates et clades, a regibus paſtoribus Aegyptiis illatas, deſignari palam eſt.

§. 82.

Potiſſimum rem planam facit hiſtoriae vtriusque analogia. Typhon maritus eſt Nephthyos, vel gentis Arabiae, quam veteres nominare ſolent Arabiam aegyptiacam, quia Arabes antiquiſſimis temporibus eam inhabitarunt †). Reges paſtores Arabes dicuntur et merito Arabes aegyptii appellandi, quos Ptolomaeus ad ſinus arabici littora collocat. Typhon tanquam ventus vrens et terribilis, ex Oriente ſpirans, Aegyptum damnis et malis mactavit; Reges paſtores ex partibus orientalibus, Aegypti inferioris Nomos invaſerunt et incolas ſupra modum torſerunt. Typhon dominium vi et potentia ad ſe rapuit; Reges

*) *Iablonski.* Panth. Aegypt. Part. III. Lib. V. Cap. II. pag. 73.

) *Lib. I. p. 460.* *) Plutarch. Lib. cit. pag. 364-366. et 372.

†) *Strabo in deſcript.* Aegypti. Lib. XVII.

Reges paſtores Aegypti provincias ceperunt earumque principes adligantes, civitates crudeliter incenderunt et erga omnes provinciales ſe inimiciſſime geſſerunt. Typhon continua cum Aegypti praefecturis bella geſſit, Reges paſtores debellantes ſemper et maxime Aegypti radicem amputare conati ſunt. Typhonis praeſidium erat Avaris in praefectura Saite, Regum paſtorum Saltis, hanc civitatem eſt fabricatus et maximis muris munivit. Typhon in conflictu Hori, cum ſuis in lacum Sarbonidem, prope Avarim, ſe recepit. Reges paſtores a Regibus Thebaidis Hori confaederatis et reliquae Aegypti, debellati Aegypto perdita, in Avarim ſe incluſerunt. Typhon ab Horo vi expugnatus, obſidium deſperans, poſſeſſionem ex pactis conventis tradit, praedamque relinquit; Reges paſtores, a Themoſi Alis fragmuthoſeos filio, ad incitas redacti, pacta cum victoribus fecerunt, vt abirent. Typhon aſino vectus et exul filios genuit Iudaeum et Hieroſolymum. Reges paſtores ex Aegypto profugi Aſſyriorum potentiam metuentes, Iudaeam occuparunt et Hieroſolymam aedificarunt etc.

§. 83.

Haec omnia, partim hieroglyphice, partim hiſtorice conſcripta ita conſpirant, vt nihil diſcriminis inter vtrumque intercedat, et ſupervacaneum foret, diutius illis immorari. Id tamen non omittendum cenſeo, aſinum, quo aufugit Typhon, regum paſtorum ſymbolum, collectas fuiſſe Arabum copias, qui in Aegypto Phacuſis fuere permixti, quibus ab vrbe Phacuſa, Straboni Phaccuſa, nomen, quam Aegypto Arabiae nomi Metropolis, ad bubaſticum Nili alveum a qua fuit initium foſſae, a Nilo ad mare rubrum ductae vbi Abrahami poſteri fixam poſtea ſedem locarunt. Ioſephus Hycſos ſuae gentis progenitores eſſe, confitetur, qui Aegypto relicta, per deſertum in Syriam ſe contulerunt et Iudaeam, vbi nidificarunt et Hieroſolymam exſtruxerunt. Sine dubio Dynaſta ille Cananaeorum, qui prima hujus vrbis fundamenta jeciſſe dicitur *), vnus ex iſto paſtorum grege fuit.

*) *Ioſeph.* de bello Iudaic. Lib. VII. Cap. XVIII.

§. 84.

Non ignarus ſum, contra hanc Ioſephi ſententiam non nihil adferri ab eruditis, inter quos Marſhamus non poſtremus *) quem multae, vt dicit, eaeque gravis momenti rationes a Ioſepho diſcedere, cogunt. Summa earum haec eſt: Multa de paſtoribus tradi, quae in Iſraelitas non quadrent. Hi enim venerunt numero 70. paſtores autem 240000; Iſraelitae manſerunt in Goſen, paſtores diripuerunt Memphim; Iſraelitae redierunt poſt annos 215, paſtores non niſi poſt annos 511. Iſraelitae ſervitute oppreſſi ſunt, paſtores regnarunt etc. Haec praecipua viri eruditi ſunt momenta Ioſepho oppoſita, quae, an id probent, quod probare debeant, viderint alii. Totus in eo eſt Buddeus, vt Marſhamum refellat et paſtores ex Iſraelitis exſculpat **) Schukfordius paſtores opinatur eſſe Horraeos et e Diametro repugnat vtrique ***), verum Andabatarum more pugnant, qui tempora, gentes et facta, quae toto caelo differunt, ſine ordine et diſcrimine inter ſe confundunt.

§. 85.

Si Ioſephi mentem recte capiam, qui autor non ſine grano ſalis legendus, non de paſtoribus Iſraelitis, ſed de Hycſis ipſi eſt ſermo, quorum in ſ. ſcriptura expreſſe non ſit mentio. Quae Ioſephus de illis commemorat, ex Manethonis Hiſtoria et majorum traditionibus hauſit, quae Marſhamus ex ſcriptura ſ. perperam refutare conatur. Quid quaeſo Hycſis, cum Paſtoribus Iſraelitis? Hi in Aegypto reges; iſti Hoſpites et ſervi. Hi ante Abrahami tempora in Aegyptum venerunt, illi longe poſt has oras ſalutarunt. Hi vivo adhuc Abrahamo emigrarunt, illi poſt multa ſaecula ſunt ſecuti et quae id genus alia, quae ita diſcrepant vt vix intelligam, qui ab eruditis confundi potuerint. Ne autem plus juſto longior ſim, mentem meam, de Hycſorum natione propius aperiam.

§. 86.

*) *In Canon. Chronic.* pag. 103.

**) *Hiſtor. vet. Teſt. Per.* I. *Sect.* III. pag. 362 ſq.

***) *Harmon. ſcript. ſacr.* et *profan.* Vol. II. Lib. VII. pag. 147. *Edit. germ.*

§. 86.

Ex Ioſephi et Africani relationibus conſtat, Hycſos dici Arabes, qui ſumto animo Aegyptiorum poſſeſſiones invaſerunt. Heberi nepotes, Arabiae Aethiopiaeque regiones incoluerunt et in varia genera et nationes ſunt diſtributi (§. 78.) ſi non magis terrae fines, vel fruges populi numero et victui, ſufficiebant, coloniae pro vſu temporum et gentium, in alias finitimas, vel remotas emigrare tenebantur provincias, vt commodas ſedes invenirent. Heberi poſteri et Iectanis propago ſe poſt intervalla, ad extremas vſque Arabiae plagas extendebant et cum optime in Aegypto, quae rebus omnibus abundabat, ſibi conſulere poſſe putarent, cepta fiducia et armata manu, ingens eorum colonia in Aegyptiorum ditiones erupit, ſibique omnia ſubjecit etc. Hanc gentem ex Heberi proſapia fuiſſe, ex eo etiam liquet, quod alios mores et ritus, ab Aegyptiorum moribus et ſacris diverſos, habuerit et ideo templa idolorum deturbaverit. Plurimi tum temporis paſtoritiam agebant vitam, inter Arabes non inuſitatam, a qua paſtores, et cum regnarent, reges paſtores appellantur.

§. 87.

His, aliiſque, quas praetereo, rationibus innixi Iudaei, aſinum Arabiae ſymbolum, gentis ſuae Hieroglyphicum fecerunt, cujus intuitu progenitorum origo, generis ſeries, ſedes, fata et diutina poſtea Iſraelitarum in deſertis Arabiae locis commoratio et quae caetera memoriae digna, in eorum mente reviviſcebant. Ne vero harum rerum quae praecipua erant judaicae Hiſtoriae momenta, obliteraretur memoria, in perennem poſteris recordationem, in penetralibus templi, hieroglyphicum hocce monumentum conſervarunt. Commune id erat omnibus barbaris, in ſymbolis majorum hiſtoriam pie recolere, quod Iudaei ab idololatriae crimine et animalium cultu remoti, ſine legis transgreſſione facere poterant.

§. 88.

Non nemo forſan quaerit et ſcire cupit, cur Iudaei, quo-*rum ſymbolum* aſinus eſt, duntaxat aſini caput in ſanctuario [illegible]

reſervaverint? Nodus, qui non niſi ex eſoterica Cabaliſtarum diſciplina ſolvendus. Solent hi philoſophi ſuae gentis ſymbola dividere in partes, quarum ſingulis peculiares proprietates attribuunt. Adam Kadmon judaici regni Mythus eſto Exemplum: omnia illius membra ſpeciatim explicant et multa de capite, comis, cranio, oculis, naſo, mento, pectore, manibus, pedibusque ad nauſeam vſque, commentantur, quae omnia ad regis ſapientiam regnique gloriam, cujus caput rex eſt, trahuntur. Pro hac arcana Iudaeorum diſciplina Hieroſolyma erat totius gentis metropolis, vel judaici caput orbis et vrbium, quare non aſinum Iudaeorum Hieroglyphicum, ſed caput hujus ſymboli tantum in ſanctuario habuiſſe credo.

§. 90.

Telam huc vſque perductam, vt vlterius proſequar, opus non eſt. Qui veritatem praeferunt autoritatis praejudicio, vel placendi ſtudio, id mihi dabunt non inviti, quod *noſtrates ſine* cauſa ſcriptores profanos, qui de aureo aſini capite mentionem fecerunt, redarguant. In eo errarunt vtique pagani, quod id ſymbolum a Iudaeis religioſe coli divinarent. Originem hujus rei et Iudaeorum inſtituta, plurimam partem ignorabant et ab idololatria vbique terrarum invecta, ad Iudaeos concludebant et ſic jure merito ab aliis vapulant.

3 2044 017 900 507